BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
21 A
6

Digitized by Google

Digitized by Google

B

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

PHILOSOPHIA ARISTOTELIS,

QVOAD PRÆCIPUAS ALIQVOT QVÆSTIONES, QVÆ MAGIS CONTROVERSÆ SUNT, COMPENDIO EXPLICATA

A

R. P. FERDINANDO WALDTHAUSER
è SOCIETATE JESU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRAGÆ,
Typis Univerſitatis CAROLO-FERDINANDEÆ in Collegio Societatis JESU, ad S. Clementem An. 1675.

12 21 A 5

HONORI

ILLUSTRISSIMI

ET EXCELLENTISSIMI

DOMINI DOMINI

BERNARDI

IGNATII

SACRI ROMANI

IMPERII COMITIS

DE

MARTINICZ

GUBERNATORIS

DOMUS SMECZNÆ,

DOMINI IN SMECZNA,

SLAN, HORZOVICZ,

KOMAROW, &c.

EQVITIS AUREI
VELLERIS,
SAC: CÆS: REGIÆQ;
MAIESTATIS INTIMI
ACTUALIS CONSILIARII
Primarij in Regno Bohemiæ Locum-Tenentis,
&
SUPREMI BURGGRAVIJ.
D.D.D. C.

Servus minimus in
Chriſto

Ferdinandus Waldthauſer.

E

GEORGIUS HOHENEGGER PROVINCIÆ BOHEMIÆ SOCIETATIS JESU PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

CUm Philoſophiam Ariſtotelis, quoad præcipuas aliquot Quæſtiones, quæ magìs controverſæ ſunt, compendio explicatam, à Patre FERDINANDO WALDTHAUSER noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptam, tres ejuſdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi poſſe judicaverint: poteſtate à Patre Noſtro JOANNE PAULO OLIVA Præpoſito GENERALI ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut typis mandetur. In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo Officij mei munitas dedi. Pragæ 20. Julij, An. 1675.

(L.S.) Georgius Hohenegger.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Quid ſit, & quomodo fiat Univerſale? p. 1.

CAPUT II.

De Materia & forma Univerſalis. p. 5.

CAPUT III.

De Diviſione Univerſalis, & de Natura abſtracta ab unico Individuo p. 9.

CAPUT IV.

De Univocis, Æquivocis & Analogis p. 12.

CAPUT V.

De Prædicamentis. p. 16.

CAPUT VI.

De Veritate, & Mutatione Actûs Veri in Falſum. p. 22.

CAPUT VII.

De Diſcurſu. p. 26.

CAPUT VIII.

De Principijs Corporis Naturalis in Communi p. 31.

CAPUT IX.

Plura de fieri Corporis Naturalis. p. 35.

CA-

CAPUT X.
Quid ſit Materia prima? p. 40
CAPUT. XI.
An Materia prima ſit potentia abſque omni actu? p. 43.
CAPUT. XII.
An Materia prima habeat propriam exiſtentiam? p.47.
CAPUT. XIII.
An Materia prima ſit Nihil? & quomodo in exiſtendo dependeat à Forma? p.51.
CAPUT. XIV.
De Forma Subſtantiali. p. 56.
CAPUT. XV.
De toto Compoſito; & Unione, per quam Materia & Forma ſunt Unum. p.62
CAPUT. XVI.
De Natura. p.69.
CAPUT. XVII.
De Relatione Cauſarum ad Effectus poſſibiles. p. 71.
CAPUT. XVIII.
De Prioritate naturæ. p.76.
CAPUT. XIX.
De Mutua cauſalitate. p.79.
CAPVT. XX.
De Cauſa Materiali & Formali. p.82.
CAPVT. XXI.
De Cauſa Efficiente. p.85.
CA-

CAPVT. XXII.
De Cauſa Prima Efficiente. p.87.
CAPVT. XXIII.
De Influxu DEI in omnia cauſata. p.92.
CAPVT. XXIV.
De Motu. p.95.
CAPVT. XXV.
An ſit poſſibile in creatis Infinitum actu? p.99.
CAPVT. XXVI.
Alia quædam de Infinito. p.103.
CAPVT. XXVII.
Quænam ſint in loco reali? p. 107.
CAPVT. XXVIII.
De Spatijs Imaginarijs; & quomodo Locus ſit ſuperficies immobilis? p. 112.
CAPVT. XXIX.
De Ubicatione. p.115.
CAPVT. XXX.
De Tempore, Æternitate, Ævo, Duratione. p.119.
CAPVT. XXXI.
De Continuo. p.125.
CAPVT. XXXII.
An & quo ſenſu Creatura potuerit eſſe ab æterno? p. 131.
CAPVT. XXXIII.
Quid ſit Generatio Simplex? p.134.
CA-

CAPUT. XXXIV.

An in productione novi compoſiti ſubſtantialis ſit reſolutio uſque ad Materiam primam? p.138.

CAPUT. XXXV.

Ampliùs agitur de ſubjecto accidentium materialium, & de termino Generationis. p.145.

CAPUT. XXXVI.

De Cauſa creata productiva Subſtantiæ. p.152.

CAPUT. XXXVII.

De Principio Individuationis in ſubſtantijs materialibus. p.157.

CAPUT. XXXVIII.

De Individuatione Formarum Subſtantialium, Quantitatis & aliorum Accidentium; & de Replicatione Circumſcriptiva. p. 162.

CAPUT. XXXIX.

De Intenſione qualitatum, Rarefactione & Condenſatione. p. 168.

CAPUT. XL.

Quid ſit Anima; & quas partes Corporis informet? p. 173.

CAPUT. XLI.

De Vita, & Gradibus Viventium. p. 177.

CAPUT. XLII.

Quot ſint genera Animarum? An Cognoſcitivum poſſit eſſe ſinè Appetitivo? An

An intrà eandem ſpeciem una anima alteram excedat in perfectione? an in proceſſu generationis inducātur ſucceſſivè plures animæ? p. 182.

CAPVT. XLIII.

De Potentijs Animæ. p. 189.

CAPVT. XLIV.

Quid ſit Corporeum? & in quo ſit eſſentia Spiritûs? Quid ſit cognoſcere? ubi etiam de Diſtinctione Senſuum externorum, & de eſſe intentionali. p. 193.

CAPVT. XLV.

De Potentia Intellectiva. p. 205.

CAPVT. XLVI.

De Analogia Entis. p. 210.

CAPVT. XLVII.

An Poſſibilitas & Exiſtentia Creaturarum ſint idem cum Eſſentia? p. 218.

CAPVT. XLVIII.

De Attributis Entis & Diſtinctione Rationis. p. 224.

CAPVT. IL.

De Entibus Abſolutis & Reſpectivis. p. 231

CAPVT. L.

De Subſtantijs ſeparatis. p. 235.

PHILOSOPHIA ARISTOTELIS Compendio explicata.

CAPUT I

Quid ſit, & quomodo fiat Univerſale?

UNiverſale eſt unum aptum ineſſe multis. Non eſt autem univerſalitas in ipſis rebus, ſed habetur per intellectum hoc modo. *Anima*, ùt inquit Philoſophus 3. de anima tex: 38. *eſt ùt manus*: quia quemadmodum manus (*a*) datæ ſunt homini loco omnium organorum, quæ habent alia animalia ad defenſionem vel impugnationem vel cooperimentum (nam manu hæc omnia ſibi homo præparat) ſic anima data eſt homini loco omnium formarum, ut dum ipſa eſt formarum omnium receptiva, homo ſecundùm animam ſit quodammodo omnia, & totum ens. *Omnino enim* (ait Ariſtote-

les ibi; tex: 35.) *ù intellectus, qui actu intelligit, res ipſa eſt;* in quantum ſcilicet ſpecies & ſimilitudo rei intellectæ eſt in intelligente. Cùm autem anima hominis ſit ſenſitiva ſimul & intellectiva, æquivalet duplici mànui, quarum unâ homo apprehendit omnia ſenſibilia, alterâ omnia intelligibilia. Senſus miniſtrat intellectui: quia ſinè ſenſu (*b*)non poteſt homo addiſcere acquirendo de novo ſcientiam, neque poteſt intelligere utendo ſcientiâ habitâ; ſed ſicut homo (*c*) in pueritia indiget lacte, quamvìs illo non indigeat in ætate perfecta; ità anima, quamvìs in ſtatu ſeparationis à corpore non indigeat auxilio ſenſuum, indiget tamen illo, dum eſt in ſtatu conjunctionis, in quo, quantum eſt ex modo operationis ipſius, imperfectiùs operatur. Senſus autem & intellectus circa Univerſale ſic ſe habent.

Cùm quælibet potentia habeat modum cognoſcendi & objectum ſibi proportionatum, & omnis potentia ſenſitiva recipiatur in organo corporali, ideo etiam objectum illius eſt forma prout eſt in materia corporali; & rurſus, quia materia cor-

corporalis, juxta dicenda inferiùs (*d*) eſt principium individuationis, ideo potentia ſenſitiva cognoſcit formam prout eſt individuata, & objectum illius ſunt res ſingulares quà tales, quæ non tantùm cognoſcuntur à ſenſibus externis, ſed etiam à phantaſia, quæ eſt potentia omnium ſenſibilium apprehenſiva & porrigens ea quodammodo intellectui. Intellectus verò, cùm non ſit actus alicujus organi corporalis, ſed tantùm ſit potentia animæ, quæ eſt forma corporis, ideo objectum illi proportionatum eſt forma in materia quidem, ſed non prout in materia corporali, quanta, & individuali; & propter hoc dicitur intellectus abſtrahere à materia individuali, & à conditionibus individualibus, prout dicemus infrà (*e*) Quando autem intellectus abſtrahit à materia individuali, abſtrahit etiam à pluralitate, cujus fundamentum eſt materia individualis: & quando abſtrahit à pluralitate, hoc eſt, quando non cognoſcit actu pluralitatem, facit ut illa forma in materia, ſeu illa natura & eſſentia compoſita, ſit Univerſale Metaphyſicum, quod eſt fundamentum Univerſalis Logici. Nam

poſtquam natura fuit apprehenſa abſque pluralitate & ſingularitatibus, tunc intellectus, reflectendo ſuper naturam ſic apprehenſam, comparat illam ad res, quæ ſunt extra animam, non per aliquod judicium, ſed per apprehenſionem, quæ repræſentat aptitudinem naturæ, ſeu potiùs non repugnantiam illius, ut ſit in pluribus; & ſic facit naturam eſſe formaliter relativam ad plura, & unam aptam prædicari de pluribus, quod vocamus *UniVerſale Logicum* & *Formale*, quod proximè deſervit ad ſcientias (unde etiam dicitur *Logicum*, quia ad Logicam ſpectat præparare inſtrumenta ſciendi) quia natura ſic cognita poteſt ſtatim prædicari, & identificari ſingularibus; & quidem ſingulis tota; cùm tota natura nihil dicat aliud, quàm conditiones illas, quæ ipſi conveniunt ex ſua definitione, & ſunt ipſa prædicata eſſentialia, quæ ratione ſui nec includunt, nec excludunt pluralitatem vel unitatem numericam & ſingularitatem; ſicut etiam non includunt, nec excludunt univerſalitatem; ſed unitas numerica convenit naturæ accidentaliter & à parte rei, unitas autem univerſalis convenit illi accidentaliter ab anima.

(a) *S.*

(a) S. Thomas 3 de ani: lect: 13. (b) Idem ibidem (c) Idem quæſt: de anima art: 19 ad 19. (d) cap: 37. (e) cap: 44.

CAPUT II.

De Materia & Forma Univerſalis.

HAbet ſe ergo Natura ſecundùm ſe, hoc eſt prædicata eſſentialia, ſicut ſe habet materia prima (a): nam ſicut materia prima ſecundùm ſe, & in quantum eſt materia prima, non includit actu ullam formam, v. g. nec formam embrionis, nec hominis, nec cadaveris, nec etiam aliquam ex his formis excludit, ſed eſt indifferens ad utramvis habendam; ità natura, quantum eſt de ſe, nec eſt ſingularis, nec univerſalis (quia ſi eſſet ſingularis, non poſſet directè concipi per intellectum, qui directè ſingularia non cognoſcit; ſi autem eſſet univerſalis, non poſſet poni à parte rei, niſi à parte rei poneretur univerſale, cùm implicet ut natura ullo modo ſit ſinè ſe ipſa; aliunde autem implicat Univerſale eſſe à parte rei) non etiam excludit ſingularitatem, nec uni-

univerſalitatem. ſed eſt ad utrumvis indifferens. Et ſicut materia prima non poteſt exiſtere, nisì habeat aliquam formam, per quam excludit omnem aliam formam; ità natura ſecundùm ſe non poteſt exiſtere ſic præciſè, ſed debet habere ſibi adjunctam vel unitatem numericam, per quam à parte rei excludit unitatem univerſalis; vel unitatem communitatis, per quam in anima excludit unitatem & pluralitatem numericam. Ulteriùs: ſicut materia prima tranſit ab una forma ad aliam, v. g. quando habuit formam embrionis accipit formam hominis, ſic ut amittat formam embrionis; & quando fuit homo, accipiendo formam cadaveris amittit formam hominis; ità natura à parte rei & dum cognoſcitur à ſenſu, habet ſingularitatem; poſtea autem, dum per intellectum acquirit univerſalitatem, amittit ſingularitatem; deinde per prædicationem acquirit ſingularitatem, & amittit univerſalitatem, quod fit per converſionem intellectûs ad phantaſmata. Qui progreſſus iterum ſic contingit, ſicut in materia prima; nam materia prima quamdiu tranſit ab una forma ad aliam, ſive quamdiu introducuntur diſpoſitiones pro

novo

novo compoſito, adhuc retinet formam antiquam, uſq; dum omnes diſpoſitiones ſint introductæ; & ſic etiam in prædicatione, per quam natura ex univerſali fit ſingularis, adhuc natura eſt ſub univerſalitate, ità tamen ut jam tendatur ad non eſſe univerſale, aut, quod idem eſt, ad eſſe prædicatum & identificatum rei ſingulari; ſicut quando materia diſponitur pro forma nova, tenditur ad non eſſe formæ antiquæ, aut ad eſſe formæ novæ & novi compoſiti. Unde natura, dum prædicatur, eſt univerſalis in deſinendo, non tamen identificatur ùt univerſalis; ſicut materia prima non fit unum cum forma nova prout habet antiquam, quamvìs ſit ſub forma antiqua, quamdiu tenditur ad novam.

Sed quo tandem actu fiunt hæc omnia? Reſpondemus primò, quòd nullum univerſale fiat per ſenſus: ſenſus enim cognoſcunt ſingularia quà talia, ſingularia autem quà talia non poſſunt eſſe communia & univerſalia. Secundò. Cùm omne univerſale ſit univocum, & omne univocum ſignificet rationem perfectè unam & eandem, quæ non reperitur tunc, quando eſt aliqua diverſitas, differentia, diſtinctio

diſtinctio, & pluralitas; ideo non poteſt fieri rigoroſum univerſale per actum confundentem, qui repræſentat multa per modum unius, ità ut implicitè quidem, actu tamen, repræſentet ipſa ſingularia, & rationes illas, in quibus eſt aliqua diſconvenientia: hoc actu enim concipiuntur etiam ea, quæ nullâ ratione ſunt univoca v. g. riſus reſpectu hominis & prati; ſanum reſpectu animalis, medicinæ, coloris; ens reſpectu entis veri & ficti. &c. Tertiò: Univerſale Metaphyſicum fit per actum abſtractivum directum, qui cognoſcendo naturam ſecundùm ſe, & præſcindendo illam à ſingularitatibus non repræſentat ullam rationem, per quam natura in ſe divideretur & multiplicaretur, adeóq; facit illam perfectè unam: qui actus dici ſolet *præciſio objectiva*, aut, ſi hæc vox non placet, *præciſio perfecta*. Et ſic abſtracta natura fit Logicè Univerſalis per actum comparativum ſimplicem, quo ſinè affirmatione cognoſcitur natura apta contrahi ad plura; ac deinde per actum comparativum componentem fit prædicatio.

(a) *S. Thomas opuſculo aureo de ente & eſſentia capite 4.*

CA-

Caput III.
De Diviſione Univerſalis, & de Natura abſtracta ab unico Individuo.

Quod prædicatur univerſaliter, vel eſt tota eſſentia, vel pars eſſentiæ, vel extra eſſentiam. Si eſt tota eſſentia, dicitur *Species*. Si eſt pars eſſentiæ, vel eſt talis pars, ut conveniat etiam alijs non habentibus eandem eſſentiam, ſicut materia prima convenit pluribus compoſitis, & dicitur *Genus*: vel eſt talis pars, ut non conveniat ulli alteri, quod habet diverſam eſſentiam, ſicut forma hominis nulli poteſt convenire niſi homini, & hoc eſt *Differentia*. Si eſt extra eſſentiam, vel convenit eſſentiæ & ſubjecto ratione principiorum eſſentialium, à quibus promanat, & tunc eſt *Proprium*, quod prædicatur in Quale neceſſariò: vel convenit illi ratiône ſingularitatis & conditionum extrinſecarum ipſi eſſentiæ, & dicitur *Accidens*, quod prædicatur in Quale contingenter. Atq; ità ſunt quinq; præ-

dicabilia, ad quorum aliquod revocatur, quidquid univerſaliter dicitur.

Sed quæſtio eſt: an ad Univerſale pertineat natura abſtracta ab unico individuo? Quæ interrogatio formari poteſt dupliciter: ſemel enim quæri poteſt de natura abſtracta ab una ſingularitate, ſic tamen ut plura individua intra illam ſpeciem ſint poſſibilia & talem naturam dicimus eſſe Univerſale ſpecificum: parum enim refert, ſive natura abſtrahatur ab una ſingularitate, ſive à pluribus; quia natura, quæ eſt in uno individuo, non dicit minus in ratione naturæ, nec quoad ſe eſt magis coarctata, quàm ſit natura, quæ eſt in pluribus, imò in omnibus poſſibilibus individuis. Secundò poteſt quæri: An ſi non ſit poſſibile nisi unicum individuum illius ſpeciei, eritne natura abſtracta Univerſale ſpecificum? v. g. in ſententia, quæ docet, quòd pluralitas purè numerica deſumatur penes materiam ſignatam, Angeli cùm non habeant materiam, ex qua conſtent, non poſſunt eſſe plures ſolo numero & individualiter tantùm diſtincti, ſed quiſque Angelus diſtinguitur ab altero plùs quàm numero, ſcilicet ſpecie: unde in quolibet Angelo eſt tota ſpecies,

ſic ut in nullo alio ſit, nec eſſe poſſit. & de hac natura quæritur: an poſſit eſſe per abſtractionem Univerſale ſpecificum? Ad quod reſpondemus, quòd poſſit eſſe Univerſale ſpecificum ſecundùm rationem tantùm, non ſecundùm rem. Diſtinxit enim Doctor Angelicus (*a*) inter hæc duo. *Univerſale ſecundùm rationem tantùm* vocavit illam naturam, quæ ſic concipitur, ut quantum eſt de ſe non dicat ullam repugnantiam ad eſſendum in pluribus, etiamſi propter aliquid, quod eſt extra conceptum & eſſentiam naturæ, repugnet illi ut ſit in pluribus. Cùm ergo natura Angeli poſſit concipi ſinè ſingularitate & ultima determinatione illius, & naturæ ſic conceptæ non repugnet per ſe eſſe in pluribus (etiamſi hoc illi repugnet per accidens prout eſt realiter, & conjuncta ſingularitati) ideo natura ſic concepta eſt univerſale ſecundùm rationem tantùm. *Univerſale ſecundùm rationem ſimul & rem* vocavit S. Thomas illam naturam, quæ non tantùm dicit potentiam ad plura quantùm eſt ex ſe, ſed etiam ſecundùm rem poteſt multiplicari, quia non eſt quidquam extraneum naturæ, ratione cujus hoc ipſi repugnaret. & tale Univerſa-

le non eſt natura Angeli. Natura Divina nec quidem ſecundùm rationem poteſt eſſe Univerſalis (*b*): ſupponimus enim, quòd is, qui concipit naturam Divinam, concipiat formaliter actum purum, qui cùm includat omnem omnino perfectionem, non dicit ullam potentiam ad plura, ſed ſummam unitatem, & repugnantiam, ut ſit in pluribus Dijs.

(*a*) *quaſt: de ſpirit: creaturis art: 8 ad 4. & 1. p: q: 13 a. 9. in* ⊙. (*b*) *S. Thomas 1. p: q: 13.*

Caput IV.

De Univocis, Æquivocis, & Analogis.

Ad univocationem requiritur (*a*) ut nomen unum prædicetur de diverſis ſecundùm rationem totaliter eandem: ſicut *animal* de equo & bove dictum ſignificat ſubſtantiam animatam ſenſibilem. In æquivocis verò idem nomen prædicatur de diverſis ſecundùm rationem totaliter diverſam: ſicut hoc nomen: *canis*; dictum de ſtella & quadam

ſpecie

ſpecie animalis, ſignificat in uno ſubſtantiam cœleſtem vehementer urentem, in alio ſubſtantiam animatam ſenſibilem latrabilem. Inter univoca & æquivoca media ſunt *Analoga*, in quibus idem nomen de diverſis prædicatur ſecundùm rationem partim eandem partim diverſam: ſicut *ſanum* ſi dicatur de potione medicinali, & colore animalis, ſignificat rationem partim eandem, ſcilicet connexionem cum ſanitate, quam utrumque habet; partim diverſam, quia in uno ſignificat connexionem, quam habet cum ſanitate ùt cauſativum illius; in altero autem connexionem, quam habet ùt ſignificativum ſanitatis. Unde ſi iſte conceptus; *homo*; ſignificaret actu etiam ipſas ſingularitates, non æquivaleret nomini univoco, ſed ſummùm analogo: quia ratio ſingularitatis & differentiarum, quibus individua ultimò inter ſe differunt, non ſunt totaliter eadem ratio. Et ideo dicimus, quòd analoga fiant per actum confundentem, qui repræſentat plura prout in aliqua ratione communi conveniunt, in qua eadem ratione etiam differunt, ità tamen ut intellectus inter modos illius diverſitatis actu non diſcernat. Pro quo

Notandum eſt, quòd ratio aliqua poſſit duplici ſenſu eſſe partim eadem, partim diverſa. Primò hoc ſenſu, quòd in illa ratione includantur duæ partes, quarum una eſt planè eadem, & altera planè diverſa. v. g. in homine includitur animal rationale; per *animal* convenit homo perfectè cum bruto, per *rationale* autem tantùm diſconvenit à bruto, & nullo modo convenit: & quia *animal* non intrat in definitionem rationalis, neque *rationale* eſt de eſſentia animalis; ideo hæc ratio; *homo*; ſignificat rationem compoſitam ex duabus rationibus à ſe perfectè præſcindibilibus, quarum una ſe habet inſtar materiæ determinabilis, altera inſtar formæ determinativæ & contrahentis priorẽ rationem ad certam ſpeciem. Secundò poteſt aliqua ratio eſſe partim eadem partim diverſa indiviſibiliter, hoc eſt ità, ut diverſitas nunquam poſſit ſufficienter ſeparari à convenientia, nec ratio conveniendi à ratione diſconveniendi dividi; ſed conceptus convenientiæ formaliter & actu includat etiam ipſam diſconvenientiam, & viciſſim: & conſequenter actus concipiens convenientiam non habebit aliud objectũ, quàm habeat actus concipiens diſconvenien-

nientiam, ſed tota alietas tenebit ſe ex parte intellectûs, qui illam rationem ſemel concipiet confusè, in quantum plura faciet aliquomodo unum; & alterâ vice clariùs, repræſentando ſcilicet ipſum modum differendi ùt talem. Analoga ergo ſignificant rationem, partim eandē, partim diverſam, hoc ſecundo modo. Ex hoc autē quòd analoga ſignificent ipſas rationes diverſas, quarũ una non eſt altera, ſed diviſa & diſtincta eſſentialiter ab illa, ſequitur, quòd nunquam poſſim totum conceptum analogum prædicare de uno inferiore. Quod ſic oſtenditur: Non poſſunt aliqua de ſe prædicari, niſi in quantum ſunt unum; nam prædicatio debet habere *fundamentum in re, ipſam unitatem eorum quorum unum de altero dicitur* (*b*), atqui duæ rationes diverſæ non ſunt unum. ergo duæ rationes diverſæ non poſſunt de invicem prædicari. ergo neque poſſunt de invicem prædicari illæ rationes, quæ includuntur in conceptu analogo. ergo neque poteſt totus conceptus analogus prædicari de una ratione [illegible] de uno inferiore. Unde quamvis *ens* [illegible]no conceptu includat formaliter Ange[illegible]m, hominem, aſinum, lapidem; tamen iſta propoſitio:

Deus

Deus eſt ens ; non habet hunc ſenſum : *Deus eſt Angelus* , *homo* , *aſinus* , *lapis* , &c: quia conceptus entis non eſt formaliter & eſſentialiter unus. Sed quia hæc omnia habent tantùm proportionem aliquam in eſſe, & hanc proportionem ly *Ens* clarè exprimit; ideo hæc dicuntur de Deo ſecundùm proportionem tantùm, ità ut ſenſus dictæ propoſitionis ſit iſte : *Deus habet eſſe* , *ad quod proportionem aliquam habet eſſe Angeli* , *hominis*, *aſini*, *lapidis*, *&c.* De quo rurſum inferiùs (*c*).

(*a*) *Vide S. Thomam* 11 *Metaph: lect:* 3. (*b*) *S. Thom: de ente & eſſent: cap:* 4. (*c*) *cap:* 46.

CAPUT V.

De Prædicamentis.

PRædicamenta ſunt genera generaliſſima , in quæ dividitur Ens. (*a*) Non eſt tantùm unum prædicamentum Entis : quia Ens, ùt Philoſophus 3. Metaphyſ: dicit & probat, & cum eo commentator illius D. Thomas, (*b*) *impoſſibile eſt eſſe genus.* Neque ſunt tantùm duo prædicamenta : unum ſubſtantiæ & alte-

alterum accidentis: nam accidens non dicitur univocè de quantitate, relatione, actione, habitu &c; adeóque nec eſt genus generaliſſimum. Quare autem Accidens non dicatur univocè de his, ratio eſt: quia quantitas, qualitas, & cetera genera, etiam prout inter ſe ſunt diverſa, ſunt in alio. ergo etiam prout diverſa ſunt, ſunt accidentia. ergo *Accidens* ſignificat rationes diverſas, & modum diverſum ineſſendi. ergo non eſt univocum ſed analogum. Tot ergo ſunt prædicamenta, quot ſunt modi diverſi Entis, qui univocè, & communiſſimè prædicantur de ſubjecto ultimo. Subjectum autem ultimum prædicationum & quod de nullo alio prædicatur, eſt ſubſtantia prima, ſive individuum ſubſtantiale; de quo poteſt aliquid univocè prædicari, vel tanquam aliquid conſtitutivum ſubſtantiæ, vel ùt aliquid extra ſubſtantiam. Quod prædicatur ùt conſtitutivum ſubſtantiæ, eſt *Subſtantia.* Quod non eſt conſtitutivum ſubſtantiæ, vel inhæret illi intrinſecè, vel extrinſecè illam denominat. Si inhæret intrinſecè, vel inhæret ùt abſolutum, vel ùt reſpectivum. Si inhæret ùt abſolutum, vel competit ſubſtantiæ primæ ratione materiæ, & hoc

eſt

eſt *Quantitas*: vel inhæret ùt conſequens ad formam, & hoc eſt *Qualitas*. Si inhæret ùt reſpectivum, eſt *Relatio*. Si ab extrinſeco denominat, vel invenitur communiter in omnibus, vel ſpecialiter in ijs quæ pertinent ad hominem. Si communiter convenit, vel denominat ùt cauſa, vel ùt menſura. Si denominat ùt cauſa agens (nam cauſa materialis & formalis ſunt intrinſecæ & conſtitutivæ ſubſtantiæ; finalis autem non agit abſque efficiente) eſt *Paſſio*: nam pati eſt ſuſcipere aliquid ab agente. ſi denominat ùt terminus & effectus productus, eſt *Actio*. Si denominat ab extrinſeco ùt menſura, vel eſt menſura permanens vel ſucceſſiva: ſi eſt menſura ſucceſſiva, eſt *Tempus*. Si eſt menſura permanens, vel dicit ordinem partium, vel non dicit: ſi non dicit ordinem partium, eſt *Locus*; ſi inſuper dicit ordinem partium in loco, eſt *Situs*. Si denominat ab extrinſeco ſpecialiter tanquam pertinens ad hominem, eſt *habitus*: nam prædicamentum habitûs per ſe convenit homini, cui cùm natura non dederit certa arma & veſtes, quibus ſe tueretur ab injurijs, & conſervaretur in ſuo eſſe, dedit tamen illi ingenium & manus,

ut

ut conſilio & induſtriâ compararet ſibi multiplex genus veſtium & armorum ad uſum ſuum & vitæ conſervationem. Et ideo propter hominem eſt ſpeciale prædicamentum Habitûs. Bruta autem & inanima ſunt ſolùm ad uſus humanos armata, veſtita, ornata, neque convenit illis per ſe prædicamentum Habitûs, ſed arma & veſtes illorum ſunt illis determinata à natura, & ſunt partes illorum ſubſtantiales: unde hæc prædicatio: *brutum eſt tectum corio*; eſt ſubſtantialis: hæc verò: *homo eſt veſtitus corio*; eſt accidentalis. Sunt ergo decem hæc prædicamenta: *Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Paſſio, Actio, Tempus, Locus, Situs, Habitus*: ut propè uſurpare hic liceat Pythagoræorum doctrinam, quòd tota rerum Univerſitas claudatur decade. Quemadmodum enim in primis decem ſpeciebus numerorum novem ultimæ dicuntur per ordinem & additionem ad unitatem, quæ eſt initium numeri; ſic novem genera rerum poſteriora dicuntur per ordinem & additionem ad Subſtantiam, quæ in diviſione analoga Entis eſt primum genus: reliqua autem omnia reducuntur ad hæc decem genera, ſicut omnes ſpecies numerorum

ad

ad primas decem. Sed contra hanc diviſionem prædicamentorum videtur poſſe opponi illud: quomodo *Paſſio* ponatur inter prædicamenta extrinſecè denominantia, cùm ipſa tamen ſit intrinſeca Paſſo. Ad hanc difficultatem reſpondet S. Thomas (c) quòd aliquid non dicatur pati, calorem v. g., ex hoc, quòd calor ſit in paſſo, v. g. in aqua, ſed in tantum dicitur aqua propriè pati (prout *paſſio* eſt prædicamentum) in quantum aqua habens calorem transſmutatur ab igne calefaciente. *Unde ſi non eſſet calefaciens, quantumcumq; calor eſſet in aqua, non propter hoc diceretur calefieri & pati; ſed dicitur calefieri & pati, in quantum talis calor eſt à calefaciente. Talis ergo denominatio vel reſpectus paſſi eſt formaliter ab extrinſeco, ex quo importat agens, quod eſt extrinſecum.*

Hoc præterea obſervandum eſt, quòd *in nullo prædicamento ponitur aliquid, niſi res extra animam exiſtens (d)*: unde entia rationis & entia moralia, ùt eſſe nobilem, infamem, & ſimilia, non pertinent ad ullum prædicamentum; quidquid autem in his eſt phyſicum & reale, hoc ad aliquod prædicamentum ſpectat. Artefacta non ſunt

ſunt entia per ſe,& ideo per ſe nō ſunt res: ergo per ſe non ſpectant ad prædicamentū ullum; niſi dividantur, tunc enim ſpectabunt ad duo diverſa prædicamenta; v. g. ad ſubſtantiam & qualitatem ſpectat *album*.

DEUS non ponitur in ullo prædicamento, ſed ſuperexcedit perfectionem omnium prædicamentorum, ſic ut nulla perfectio cogitari poſſit, quam non includat: cùm interim nullum genus ſupremum includat perfectionem omnium aliorum generum & prædicamentorum, adeóque ſit defectuoſum, & capax novæ perfectionis, quod in Deo repugnat. Unde etiam dixit Doctor Angelicus (*e*) *Nullum nomen univocè de Deo & creaturis prædicatur.* Imò dicit hoc eſſe impoſſibile (*f*). Et alibi dicit (*g*): quòd Deus non ſit in genere. Quorum dictorum aſſignat plures rationes, quæ hoc infallibiliter concludunt. Et quidem quòd Deus non ſit in ullo genere videtur indè conſtare: quia in Deo non eſt ullā potentia paſſiva vel potentialitas, à qua deſumeretur genus; unde in Deo deficit fundamentum generis, & conſequenter ipſum Genus.

Deus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Deus ergo eſt ſuper omnia prædicamenta tanquam omnium principium.

(a) Hanc diviſionem Entis in decem prædicamenta vide apud S Thomam in 3. phyſic: lect: 5. & 5 Metaphyſ: lect: 9. (b) 3 Metaphyſ: lect: 8. (c) opuſc: 48, de prædicamento paſſionis cap: 2. (d) q: 7. de potentia a. 9. in c. (e) 1. p. q: 13. a. 5. in c. (f) ibid: (g) 1. p: q: 3. a. 5. in c.

CAPUT VI

De Veritate, & Mutatione Actûs Veri in Falſum.

VEritas realis eſt adæquatio rei & intellectûs. Habent enim (a) ſe res naturales quaſi in medio duorum intellectuum, Divini & Humani, & propter adæquationem ad utrumque dicuntur veræ. Divino intellectui adæquantur, quantum implent hoc, ad quod ab illo ordinatæ ſunt: propter quod omnia ſunt vera reſpectu divini intellectûs, præceptum enim, quod rebus naturalibus DEUS poſuit, non præteribit. In quantum autem poſſunt res formare de ſe veram

ram æſtimationem, adæquantur intellectui humano. Intellectus autem humanus vel eſt practicus vel ſpeculativus. Si eſt practicus, eſt cauſa rerum, & menſura veritatis illarum. Si eſt ſpeculativus, accipit & movetur à rebus, & menſuratur ab illis: & hoc modo dicitur res eſſe menſura actûs veri. Sed ſicut menſura non eſt pars menſurati, nec calceus pars pedis, aut pes pars calcei, quamvìs calceus ad pedem definiatur, ſic nec objectum eſt pars actûs veri, ſed aliquid eſſentialiter requiſitum ad veritatem formalem.

Ex eo quòd verita s ſit adæquatio rei & intellectûs, bene ſequitur, quòd unus actus altero non poſſit eſſe verior veritate formali: adæquatio enim, quæ conſiſtit in indiviſibili, dicit acceſſum omnimodum ad ſuum objectum, qui acceſſus nullam patitur latitudinem. Debet autem hæc adæquatio conſiderari in rebus, in quantum & quò uſquè ſunt objectum: hinc actus, qui objectivè præſcindit à ſingularitatibus, & dicit: *homo ſedet*; verus eſſet, qnamvìs à parte rei ſederet homo Platonicus; manerétq; ſemper verus, quamvìs Paulo ſuccederet Petrus, & Petro Joannes, dummodo quiſque horum ſede-

ſederet. Similiter actus, qui dicit: *Petrus nunc ſedet*; verus eſſet, etiamſi à parte rei non daretur ullum tempus vel inſtans ultimò determinatum, ſed tempus univerſale, nullam includens individuationem. Quia verò à parte rei non datur homo Platonicus, nec tempus univerſale, ſed quidquid eſt à parte rei, eſt individuum & ſingulare, ideo nunquam hæ propoſitiones verificantur ab homine Platonico, aut à tempore univerſali, ſed verificationem illarum contingit eſſe ab aliquo individuo determinato, ſupra quod cadunt. Dicuntur autem hujusmodi propoſitiones cadere ſupra individuum, quia individuum-quà tale non habent pro objecto (cùm perfectè præſcindant ab individuatione, & habeant pro objecto hominem & tempus univerſaliter) ſed illud quod repræſentant eſt à parte rei conjunctum illi ſingularitati, & quantum ad repræſentationem actûs habet ſe prorſus materialiter & per accidens, quòd ſit hic vel ille homo, hoc vel illud tempus. Idcóque etiam ad diſtinctionem ab eo, quod verè in actu exprimitur, dicunt aliqui, quòd individuum ſit objectum verificationis, non autem repræſentationis.

Et

Et ex hoc fundamento facilè oſtenditur, quomodo poſſit actus ex vero mutari in falſum. Quæ ſententia nequaquam novitia eſt, cùm dicat Suarius (*b*) quòd illius contrarium *ſimpliciter repugnat Ariſtoteli* (*c*) *&* *Divo Thomæ* (*d*). Non poteſt tamen quælibet propoſitio tranſire de vera in falſam: nam ſi actus ſignificet omne tempus collectivè, vel diſjunctivè aliquam illius partem, vel determinatè hanc partem temporis, tunc non poteſt hanc mutationem ſubire; ſed ſolus ille, qui ſignificat tempus præſens univerſaliter & indeterminatè, hoc eſt abſq; individuatione, à qua determinatur tempus præſens à parte rei. Et talis actus eſt iſte: *Petrus nunc ſedet*; qui actus ſi continuetur duabus horis, & in prima Petrus ſedeat, in ſecunda non ſedeat, erit primâ horâ verus, ſecundâ falſus abſque mutatione ſuæ eſſentiæ. Cùm enim eſſentia actûs conſiſtat in repræſentatione objecti, & eſſentia repræſentationis deſumatur penes objectum, quod illa per ſe reſpicit; ſequitur, quòd quamdiu manebit hoc idem objectum per ſe reſpectum, manebit eadem repræſentatio, & eadem eſſentia actûs. Cùm autem objectum hujus actûs ſit Petrus, & ſeſſio

combinata cum tempore præſente, & tempus præſens ſecundùm ſe non includat individuationem & diverſitatem temporis præſentis, adeóque tempus præſens, in quantum eſt objectum, ſemper ſit idem; patet quòd nulla ſit mutatio ex parte objecti, neque ex parte repræſentationis & eſſentiæ actûs.

(a) S. Thomas quæſt: de Veritate art: 2, (b) diſput: 8 Metaphyſ: ſect: 2. (c) in Categorijs cap: de ſubſtantia; ante finem. (d) 1. p: q: 14. a 15. ad 3. & q: de Veritate art: 6, & alibi ſæpius.

Caput VII.

De Diſcurſu.

O*Mnis Doctrinæ, omniſq; diſciplina intellectiva ex antecedenti cognitione fieri ſolet* (a). Quemadmodum enim in corporibus inferioribus contingit (b), ut producantur valde imperfecta tam quoad eſſe, quàm quoad operationem, donec paulatim acquirant perfectionem in eſſe & operando, cùm interim cæleſtia corpora in prima ſtatim ſui productione acceperint eſſe perfectum, & ſtatim per-

fectè

fectè operentur; ità intellectus humanus, qui reſpectu intellectûs Angelici (hi enim juxtà doctrinam Angelicam (c) ſtatim in ſuo eſſe perfecti ſunt, & ad operandum completi, nec procedunt dividendo vel componendo, aut inferendo unam cognitionem ex alia) habet ſe ſicut corpora inferiora ad cæleſtia; primò imperfectus eſt, valdéq; imperfectam cauſarum cognitionem habet, donec progrediendo ab uno ad alterum perficiatur, & effectum cognoſcat ex cauſis. Hanc progreſſionem quam ex una cognitione facimus ad aliam, vocamus *Diſcurſum Formalem.*

Eodem modo, quo implicat aſſenſum & diſſenſum de eodem objecto componi, implicat etiam, ut conceſſis præmiſſis eliciatur actus contradicens concluſioni ex illis præmiſſis regulariter ſequenti. Unde præmiſſæ tam probabiles, quàm ſcientificæ, ſi concedantur, neceſſitant ad ſpeciem actûs. Num etiam ad exercitium? Si credimus Conimbricenſibus (d) ſententia affirmans eſt conformis Ariſtoteli & D. Thomæ. quam proinde ſequimur, & dicimus, quòd in omni Syllogiſmo tam probabili, quàm ſcientifico, conceſſis

præmiſſis aliud quidpiam ſequi neceſſe ſit, eò quòd hæc ſint (*e*). Ad quam neceſſariam ſequelam concurrit apprehenſio evidens de identitate duorum inter ſe, orta ex admiſſa identitate duorum illorum cum uno tertio: quæ apprehenſio habet ſe tanquam virtus præmiſſarum ad cauſandam concluſionem, quam etiam præmiſſis aſſimilat ſive in certitudine & evidentia, ſive in probabilitate: ſicut calor eſt virtus ignis ad cauſandum ignem alium, quem cauſæ principali aſſimilat. Quòd ſi tamen aliunde adveniat impedimentum, quale eſt defectus virium, per accidens impedietur concluſio; quæ ut directa vel indirecta ſit, facit apprehenſio & ſpecies prævia, aliæq; circumſtantiæ: quemadmodum in phyſicis diverſæ circumſtantiæ diverſificant effectum. ſicut ergo ex harum interventu producitur quandoque effectus imperfectior, quem vocamus monſtrum, ità propter illas ſequitur concluſio imperfectior & indirecta. Quòd ſi intellectus non niſi conditionatè fuit aſſenſus præmiſſis, non neceſſitabitur abſolutè ad concluſionis ſpeciem: prout ſubinde contingere poſſet in ijs præmiſſis, ex quibus naturaliter veris ſequitur concluſio

con-

contra fidem. Nihilominus ſi hujusmodi præmiſſis abſolutè aſſenſus eſt, inferet quidem concluſionem, ſed non erit per eam formalis hæreticus, quia illam inferet neceſſariò.

Præmiſſæ objectivæ ſunt motivum formale intrinſecum concluſionis formalis. Non ingreditur tamen concluſionem medius terminus, ſed concluſio ex ſpeciali modo tendendi connotat illum ùt connexum cum duobus extremis: quem ſpecialem modum tendendi in ſyllogiſmo vocali exprimit particula: *Ergo.*

Propter quod unumquodque tale, & illud magìs tale; ſicut ſi amamus aliquem propter alterum, v. g. Magiſtrum propter diſcipulum, diſcipulum amamus magìs. Sed concluſiones ſcimus propter principia. Ergo multò magìs ſcimus principia, & magìs eis credimus, quàm concluſioni: argumentatur cum Ariſtotele D. Thomas (*f*). Hoc tamen intelligendum eſt de concluſione quà tali, & prout ex præmiſſis deducta: nam ſic præmiſſæ demonſtrativæ ſemper ſunt certiores & evidentiores, quia vel ſunt proximæ, vel propinquiores primis principijs, quibus ſcientia innititur. Sicut ergo

go partes aëris viciniores luminoſo oportet eſſe lucidiores ceteris, nec aliquid ſtat firmiùs, quàm baſis, cui unicè innititur, ſic etiam eſt cum concluſione.

Poſſunt in phyſicis plures cauſæ partiales, inæquales in virtute, concurrere ad eundem effectum, & voluntas propter plures fines diverſæ bonitatis poteſt ferri in idem objectum; quid ergo prohibebit eundem actum intellectûs procedere ex diverſis motivis, quæ in certitudine ſint inæqualia? Et quidem ex una apprehenſione motivi probabilis, & alterâ apprehenſione motivi evidentis poteſt ſequi judicium ſic, ut non aſſentiar priùs propter motivum evidens, quàm propter probabile. Nam ordo naturæ non debet explicari per modum ſucceſſionis temporaneæ, ità ut unum inſtans ratione noſtrâ dividatur in plures quaſi partes, quæ vocentur ſigna naturæ, vel inſtantia rationis (nam ordo naturæ, cùm ſit realis & phyſicus, eſt independens à noſtris conceptibus & diviſionibus) ſed ſigna naturæ ſunt ipſæ res, quæ inter ſe habent ordinem cauſalitatis, nec eſt opus, ut una ſuccedat alteri, ſed poſſunt exiſtere ſimul indiviſibiliter, ità ut una res, quæ depen-

det, ſit ſignum poſterius; illa autem, à qua dependet, ſit ſignum prius. Et quando plures cauſæ concurrunt, una neceſſaria, & altera libera, non operatur una citiùs quàm altera, nec eſt opus ut una alteram expectet; ſed hoc, quòd reſpectu unius ponantur plura ſigna, quàm reſpectu alterius, ſignificat, quòd effectus ad dependendum ab una plures cauſalitates requirat, quàm ad dependendum ab altera; de quo in Phyſica ſuo loco (g).

(a) *Ariſt: 1. poſter: c. 1.* (b) *S, Thomas 1, p: q: 55. art: 2.* (c) *S.Thom: ibid: & q: 58. a. 4.* (d) *in 1. poſt: c. 1. q: 4 art: 4.* (e) *Ariſt: 1. prior: c. 1.* (f) *1. poſter: lect: 7.* (g) *infrà cap: 18.*

CAPUT VIII.

De Principijs Corporis Naturalis in Communi.

Naturalis Philoſophia de Naturalibus eſt. Naturalia autem ſunt, quorum principium eſt natura. Natura autem eſt principium motûs & quietis in eo, in quo eſt. De his igitur, quæ habent in ſe principium motûs, eſt ſcientia naturalis (a)

ſive Phyſica. *Et quia unamquamque rem ſcire putamus, cùm cauſas primas, principiáq; prima & uſq; ad elementa cognoſcimus* (i); ideo quæritur in Phyſica de principijs, elementis, & cauſis rerum naturalium, ſeu, quod idem eſt, entium mobilium. Omne mobile eſt corpus: corpus autem eſt, cujus principia intrinſeca & per ſe ſunt materia & forma. Dicimus autem principia, *quæ neq; ex ſe ſe mutuò, neq; ex alijs, ſed ex ipſis omnia eſſe oportet.* (*s*) Porro mobile, quantùm ad præſens, conſiderari poteſt in duplici ſtatu: unus eſt, quo paulatim acceditur ad ſtatum perfectum; alter, quo res jam eſt in ſtatu perfecto. Quando mobile tendit ad ſtatum perfectum, nondum eſt perfectum: ſicut quando in lignum introducitur calor & ſiccitas, & aliæ diſpoſitiones pro igne, nondum eſt ignis; quando animal moritur, nondum eſt mortuum; quando arbor creſcit, nondum pervenit ad magnitudinem perfectam; quando caro igni applicata coquitur, nondum eſt perfectè coćta; quando lapis movetur deorſum, recedit à circumferentia, & necdum pervenit ad centrum. Et hunc ſtatum imperfectum, quo ad perfectum tenditur, ſolemus

mus vocare *fieri corporis naturalis*: quando autem mobile jam eſt in ſtatu perfecto, dicitur corpus naturale eſſe factum, vel *in facto eſſe*. Eſſe acceſſum ad corpus naturale, illud fieri, & generari, idem ſunt; fieri enim cùm paſſionem ſignificet, quæ eſt cauſalitas cauſæ materialis, ſignificat per modum principij cauſam materialem; & quia generatio naturalis à creatione per hoc potiſſimùm diſtinguitur, quòd hæc dicat productionem ex nihilo, illa ex aliquo; productio autem ex aliquo dicat paſſionem & cauſam materialem; ideo tam *fieri* quàm *generari naturaliter* ſignificant cauſam materialem, & accipiuntur pro eodem. Certum autem eſt, quòd ſicut nulla cauſa poteſt cauſare, niſi in actu primo completa ſit; ità etiam cauſa materialis, ut cauſet, debet habere capacitatem intrinſecam & proximam ad effectum; quam capacitatem cùm acquirat per diſpoſitiones & præparationes prævias, diſpoſitiones autem non poſſunt introduci ante formam in inſtanti terminativo generationis (quia juxta dicenda infrà (*d*) diſpoſitiones accidentales debent recipi in ente actu, materia autem in illo inſtanti ante formam nõ eſt ens actu.) ideo

diſpoſitiones debent introduci tempore antecedente illud inſtans. & quia, quod fit in tempore, fit cum motu, patet, quòd fieri naturaliter ex aliquo fit fieri cum motu. Cùm ergo fitio & generatio naturalis idem ſint, ideo generatiò propriè ſignificat illum ſtatum imperfectum, quo tenditur ad ſtatum perfectum, & eſt illo tẽpore quo materia diſponitur & adaptatur ad hoc, ut ſit ex illa res. Sicut autem terminus tendentiæ ad ſtatum perfectum eſt ipſe ſtatus perfectus; ità generationis terminus eſt ipſum corpus naturale in facto eſſe, ſive primum eſſe corporis naturalis, quod ſolemus vocare *inſtans*, quia illud eſſe indiviſibile eſt. Et quia *eſſe primò* connotat immediatè antè non fuiſſe, ideo corporis naturalis principium per accidens, ſeu non-conſtitutivum, requiſitum tamen, eſt illud non fuiſſe, quod vocamus *Privationem*. Quâ voce complectimur omnia illa, quæ dicit ſtatus imperfectus, quo ad formam habendam tendebatur. Non habet autem Privatio ultimum eſſe: nam ultimum eſſe deberet eſſe immediatè ante inſtans generationis. hoc autem non poteſt: quia omne ultimum & omnis terminus indiviſibilis eſt, adeóque

dare-

daretur indiviſibile immediatè ante indiviſibile, quod Ariſtoteles non admittit.

(*a*) *S. Thomas* 1. *phyſic: lect*: 1. (*b*) *Ariſt*: 1. *phyſic: cap*: 1. *tex*: 1. (*c*) *Ariſt*: 1. *phyſic*; *cap*: 1. *tex*: 42. (*d*) *cap*: 34.

CAPUT IX.

Plura de fieri Corporis Naturalis.

Diximus quòd *Generari* ſit produci ex aliquo, ſicut è contrario *creari* eſt produci ex nihilo. Hinc patet, quòd quò ſtrictiùs & magìs ex aliquo quidpiam eſt, eò magìs propriè generatum ſit. Et quia in Divinis Filius ſic procedit, ut Eſſentia Divina omnimodè & eſſentialiter ſit aliquid, nec ullo prorſus modo deveniri poſſit ad nihilum, idcirco Filius Dei, cùm proceſſit in ſimilitudinem naturæ, maximè fuit generatus. Quia tamen nulla potentialitas & mutatio in hac generatione intervenit, non intervenit etiam ſitio, & ideo *Genitus* eſt, *non factus*. Viciſſim nulla creatura poteſt purè generari; nam procedendo per ea,

ex quibus componitur, pervenitur tandem ad aliquid,quod non ſit compoſitum, nec ſit eſſentialiter aliquid, & ſic pervenitur ad aliquid, quod ſit ex nihilo, ideóq; opus eſt creatione, quæ eſt productio ex nihilo. Propterea quidquid eſt extra Deum,creatura eſt,quia productum eſt per creationem. Similiter quia nulla creatura (quod hìc interim ſupponimus) eſt omnimodè ſimplex, ſed componitur ſaltèm ex eſſentia & exiſtentia; hinc omnis creatura ſic creatur, ut ſimul aliquomodo fiat ex aliquo,& generetur.Nō dicimus tamen omnia generari,neq; omnia creari,ſed illa quæ magìs propriè fiunt ex nihilo, & minùs ex aliquo, dícimus abſolutè *creari*: unde Angeli creantur, non generantur; & mundus in ſui principio dicitur creatus, quia productio illius non fuit ex aliquo propriè, hoc eſt ex aliquo actu: magìs tamen hæc productio acceſſit ad veram generationem, quàm productio Angeli. Entia verò naturalia, quæ defacto fiunt, fiunt propriè ex aliquo: quia etiamſi per ſe fiant ex ente in potentia, fiunt tamen per accidens ex ente actu: nihil enim defacto producitur à cauſis naturalibus niſi ex materia, quæ antecedenter exiſtebat

ſub

ab aliqua alia forma. & ideo dicimus abſolutè, quòd entia naturalia generentur. Ex quo ſimul patet, quòd ly *generari* non dicatur eodem modo de omnibus generatis. Neque hoc eſt mirum, quia ly *generari* eſt terminus analogus, qui non convenit omnibus eodem modo, ſed ſimpliciter prolatus ſtat pro famoſiori analogato; unde illud dicimus generari, quod maximè propriè eſt ex aliquo ens.

Generatio ſubſtantiæ vocatur ab Ariſtotele (*a*) *Generatio ſimplex* vel *Generatio ſimpliciter*. Nam mutatio deſumit ſuam denominationem à termino *ad quem*: unde quia ſubſtantia compoſita eſt ex aliquo, ideo mutatio ad ſubſtantiam compoſitam terminata dicitur *Generatio*; & quia ſubſtantia eſt ens ſimpliciter, ideo etiam *Generatio ſimpliciter* idem ſonat, quod *Generatio ſubſtantiæ*. ſicut viciſſim productio compoſiti accidentalis eſt *Generatio ſecundùm quid*, quia per illam fit ens tale, ſive ens ſecundùm quid. Quando autem dicimus: *Subſtantia eſt ens ſimpliciter*, vel *per ſe*; non volumus dicere, quòd ſubſtantia ſit ens, & aliquid amplius; ſed removemus ab illa omne extrinſecum, & omne additamentum, ità ut ſenſus ſit, quòd ſub-

ſubſtantia ad hoc ut ſit ens & exiſtat, non indigeat ullo additamento vel ente, ratione cujus ipſa ſit ens: ſicut cùm dicimus: *Deus eſt ens à ſe*; ly *à ſe* nihil addit enti, ſed ſignificat, quòd Deus ad hoc, ut exiſtat, non habeat opus ullo extra ſe, à quo accipiat exiſtentiam. Nam ſyncategoremata, & ea, quæ terminis categorematicis adduntur, ſunt in triplici differentia. Aliqua ſic adduntur, ut importent novam rationem & realitatem: ſic additur rationale ad animal, albus ad homo. in quo caſu à termino complexo affirmato valet conſequentia ad terminum incomplexum; bene enim infero: eſt animal rationale. ergo eſt animal. Alia ſunt, quæ rationem, cui adduntur, diminuunt, reſtringunt, & illi aliquid detrahunt: talia ſunt *pars*, *dimidium*, *ſecundùm quid*, *negativè*, *potentiâ*, *fictum*, *mortuum &c*; & in his non bene arguitur à termino complexo ad ſimplicem; hinc malè dicitur: eſt pars pallii. ergo eſt pallium; eſt ens fictum, vel eſt ens in potentia. ergo eſt ens; eſt homo pictus. ergo eſt homo. Tertij generis ſyncategoremata ſunt, quæ nec addunt, nec demunt illi rationi, cui adduntur, ſed illam ipſam magìs explicant,

con-

onfirmant, aut removent ab ea omne id, uod non eſt ipſa. tales termini ſunt, *ipſum, ſecundùm ſe, per ſe, ſimpliciter, qua ale &c.* & hinc ly *ſimpliciter*, quod ad-itur ad ens pro explicatione ſubſtantiæ, gnificat, quòd illa ſit ens ratione ſui, & uòd non ratione alterius entis, cui con-ungitur, perveniat ad exiſtentiam; ſicut contrario accidentia acquirunt exiſten-iam ratione alterius entis, hoc eſt ſub-ſtantiæ; unde etiam dicuntur *entis entia*, vel *entia ſecundùm quid.* Huc ſpectat, quod dixit Ariſtoteles 7 Metaphyſ: cap: 1: *Ens multipliciter dicitur: ſignificat enim aliud quidem quid eſt, & quod quid, aliud verò quod quale, aut quantum, aut ſingula aliorum, quæ ità prædicantur. Cùm au-tem ens toties dicatur, patet primum horum ens eſſe ipſum quid eſt, quódq; ſubſtantiam ſignificat.* Et paulò pòſt: *Cetera verò entia dicuntur, eò quòd verè entis quadam ſint quantitates, quædam qualitates, quæ-dam paſſiones, quædam aliquid aliud tale.* Et infrà. *Quare quod primò eſt ens, & non aliquod ens, ſed ſimpliciter ens, Sub-ſtantia.* (b):

(a) *Ariſt: lib: 1. de Gener: & Corrupt:*(b) *Vide S. Thomam in hunc locum lect: prima.*

CA-

Caput X.

Quid ſit Materia prima?

INter principia Generationis, naturæ, quæ ſubjicitur mutationi, dicitur *Materia prima*, quæ teſte Ariſtotele (*a*) *ſcibilis eſt per analogiam: ut enim ad ſtatuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliquid aliud habentium formam, materia & informe ſe habet priùs quàm accipiat formam, ſic hæc ad ſubſtantiam, & hoc aliquid & quod eſt, ſe habet.* Et nè quis putaret, quòd Ariſtoteles voluerit ponere perfectam paritatem inter materiam artefacti, & materiam primam, ideo, præterquam quòd dixerit illam ſciri tantùm per analogiam, *hoc eſt*, ut interpretatur S. Thomas (*b*) *ſecundùm proportionem*, ſubjungit inſuper: *Unum igitur principium hæc, non ſic unum exiſtens, neq; ſic ens, ut hoc aliquid*, cùm interim æs ſit tale principium ſtatuæ, ut ſit unum exiſtens & ens & hoc aliquid antecedenter ad formam ſtatuæ. Solùm ergo voluit Ariſtoteles id, quod 7. Metaphyſ: cap: 7 expreſſit: *Cuncta, quæ aut naturâ aut arte fiunt, materiam habent; poſſibile eſt enim eſſe & non eſſe eorum*

unum-

ɔumquodq́; hoc autem cujusq́; materia. ;eterum quemadmodum teſte S. Diony-o (c) DEUS optimus maximus ob infi-itam ſuæ naturæ perfectionem bifariam nobis cognóſcitur: uno modo removen-lo ab eo quæcunque non ſunt perfectio-ies ſimpliciter, veluti cùm dicimus: Deum non diſcurrere, non eſſe corporeâ mole præditum. altero affirmando ea, quæ important perfectionem ſimpliciter, ut cùm DEum ſummè bonum, ſummè ſapientem eſſe pronuciamus; ità materia, quod præter alios advertit D. Bonaventura (d), ob ſuam tenuitatem & defectum dupliciter à nobis explicatur, ſcilicet vel inficiatione, cùm ei omnem actum perfectionémque denegamus; vel affirmatione, cùm eidem id, quod defectum & potentiam deſignat, attribuimus. Priori modo deſcripta fuit ab Ariſtotele (e) his verbis: *Dico autem materiam, quæ per ſe ipſam neq́; quid, neq́; quantum nec aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur.* Poſteriori modo eandem deſcripſit, cùm dixit: *Dico enim materiam primum ſubjectum uniuſcujusq́;, ex quo ſit aliquid, cùm inſit, non ſecundùm accidens, & ſi corrumpitur, in hoc abibit ultimum.* (f). Potentia

tia ad formam ſubſtantialem ſubſtantialis eſt (*g*) adeóque nulla eſt ratio illam diſtinguendi à materia, tanquam eſſet aliqua proprietas ad illam conſequens: ſed materia, cùm ſit primum recipiens, habet ſe ſic ad ſuam potentiam paſſivam, ſicut DEUS, qui eſt primum agens, ſe habet ad ſuam potentiam activam: unde cùm Deus ſit ſua potentia activa, materia prima eſt ſuæ potentia paſſiva (*h*) Hæc autem potentia paſſiva per adventum formæ & actûs non deſtruitur: nam materia prima quamvìs poſſit corrumpi per accidens, in quantum in ea ceſſat eſſe privatio quæ inerat; ſecundùm ſe tamen, & in quantum eſt quoddam ens in potentia, eſt ingenita & incorruptibilis; quia ipſa eſt primum & ultimum ſubjectum, & conſequenter impoſſibile eſt, ut fiat ex alio ſubjecto, vel in aliam materiam primam reſolvatur. (*i*) Ex quo patet, quòd potentia non auferatur per actum, niſì ſecundùm quod potentia dicit privationem actûs.

(*a*) 1. *phyſic: c. 7. tex: 69* (*b*) *in illum locum lect: 14.* (*c*) *cap: 1. de Div: Nomin: & lib: de myſtica Theologia c. 2. & 3. citatur à Conimbricenſibus 1. phyſic: c. 9. q: 2. a. 1.* (*d*) *2. diſt: 3. a. 1. q: 2. num: 12;* (*e*) 7. *Me-*

aphyſ: cap:3. (*f*) 1. *phyſic: c. 9. tex: 82.*
S. Thomas 1. *phyſic: lect: 15.* (*h*) *S. Tho-*
1. *diſt: 3. q: 4. a. 2. ad 4.* (*i*) *Vide Ari-*
1. *phyſ: tex: 82. & S. Thomam ibid:*
15.

CAPUT XI.

Materia prima ſit poten-tia abſque omni actu?

Ib: 1. phyſicorum cap: 8. refert Ariſtoteles abſurdas quorundam Philoſophorum opiniones (*a*) qui nſcitia principiorum eò adducti ſunt, omnem ſubſtantiæ generationem intemque negârint. Erat autem eorum o hæc: Quidquid oritur, aut oritur eo quod eſt, aut ex nihilo. Non ex eo d eſt, quia res jam eſſet antequam orir: non ex nihilo, quia ex nihilo fieri uid non poteſt, ſiquidem ſemper dealiquid ſubjici, è quo res gignatur. ergo la eſt generatio, nec ullus interitus. i rationi ut reſpondeat Philoſophus, net, quòd ex eo, quod eſt, aut ex eo, d non eſt, poſſit aliquid fieri vel per ſe,

ſe, vel per accidens: ſicut medicus medetur per ſe, & ex medico per ſe fit non medicus; ex medico autem per accidens fit albus, & medicus ædificat per accidens. Ac deinde dicit; quòd aliquid fiat ex nihilo per accidens, quia fit ex privatione, quæ eſt non ens, & eſt principium corporis per accidens, quia non eſt principium componens eſſentiam rei factæ. Similiter dicit, quòd aliquid fiat ex eo, quod eſt, per accidens. Per quæ voluit dicere, quòd aliquid fiat ex non ente, ſed non in quantum eſt non ens; & ex ente fit aliquid, ſed non in quantum eſt ens. Quia verò quærere aliquis potuiſſet ex Ariſtotele: cùm neque ex ente, neque ex non ente fiat aliquid niſi per accidens, omne autem, quod eſt per accidens, reducatur ad aliquid, quod eſt per ſe; ex quo ergo tandem per ſe fit ens & aliquid? Ideo ad hanc dubitationem ſolvendam ſubjungit: Cùm ens dividatur in ens actu & ens potentiâ, quòd ex ente in potentia per ſe fiat aliquid; ex ente in actu autem vel ex non ente fit aliquid per accidens. Ex quibus conſtat, quòd materia prima, ex qua per ſe fit ens & aliquid, ſit ens in potentia.

Sed

Sed de hoc ente in potentia celebris eſt
ntroverſia; aliqui enim dicunt illam
ſe potentiam ſic, ut nullum prorſus
tum involvat: alij concedunt illi actum
titativum, dicúntque illam eſſe in po-
tia paſſiva ad actum formalem. Prio-
n ſententiam tuentur Conimbricenſes
), dicúntque quòd *hæc aſſertio eſt tam
ripatetica, quam Platonicæ ſcholæ com-
nis*. Pro eadem videtur loqui S Tho-
s, (*c*) dum ait: *Materia prima non po-
t præfuiſſe per ſe ipſam ante omnia corpo-
formata, cùm non ſit niſi potentia tan-
n;* & inde infert, impoſſibile eſſe, *quòd
materia priùs creata à DEo aliquis Ange-
omnia viſibilia corpora formaverit*. Et
tè Vaſquez (*d*) expreſſè aſſerit San-
m Doctorem docuiſſe, quòd Materia
ma ſit pura potentia, nec habeat ideam
opriam in DEo. Ariſtoteles videtur
iſſe huic ſententiæ etiam ex eo, quia
od hujus ſententiæ ſectatoribus defacto
jicitur, jam olim objectum eſt ab anti-
s, & ſolutum eſt ab Ariſtotele (*e*) In-
bant enim illi materiam eſſe non ens,
quòd aliquid fieret ex non ente ſimpli-
r: & ad hoc inducebantur ratione Par-
nidis dicentis, quòd quidquid eſt præ-
ter

ter ens eſt non ens, unde cùm materia ſit præter ens, quia non eſt ens actu, dicebant eam ſimpliciter eſſe non ens. Ad quod reſpondet Philoſophus, quòd materia ſit non ens per accidens, & quòd per hoc diſtinguatur à privatione, quòd privatio ſit non ens & nullo modo ſubſtantia; materia autem ſit *prope rem*, *& ſubſtantia aliqualiter.* Quam objectionem etiam ponit & ſolvit 1. de Gener: & Corrupt: cap: 5. tex: 11. S. Auguſtinus de materia prima ſic loquitur (*f*) *Citiùs non eſſe cenſebam quod omni formâ privaretur, quàm cogitabam quiddam inter formam & nihil, nec formatum nec nihil, informe, prope nihil.* Et infrà. *Mutabilitas rerum mutabilium capax ipſa eſt formarum omniū in quas mutantur res mutabiles. & hac quid eſt? nunquid animus? nunquid corpus? nunquid ſpecies animi vel corporis? ſi dici poſſet nihil aliquid? & EST NON hoc eam dicerem.* Quòd ſi materia prima eſt pura potentia, & unumquodque agit in quantum eſt actu, ſequitur quòd materia non poſſit ad productionem formarum activè concurrere.

(*a*) *Ità Conimbric: in explanatione cap.* 8. (*b*) *lib: 1 phyſic: cap: 9. q: 3. a. 1.* (*c*) *2. con-*

ntra Gentes cap: 43. (*d*) *in* 1. *partis S. homas q:* 13. *a.* 3. *diſput.* 74. *cap:* 3. (*e*) *Phyſic: c.* 9. *ut videre eſt apud S. Thomam lect:* 15. *ad initium.* (*f*) *lib:* 12. *Confeſſi*); 6.

Caput XII.

An Materia prima habeat propriam exiſtentiam?

Quòd materia prima habeat propriam exiſtentiam, & conſequenter quòd divinitus poſſit exiſtere que omni forma ſubſtantiali, tenent nimbricenſes (*a*) & Pererius (*b*): uterque tamen dicit, pro contraria ſententia e S. Thomam (*c*); idémque affirmat rius (*d*), nec videtur valde repugnare riaga (*e*): cùm enim explicuiſſet S. Thom pro ſua ſententia dante propriam ſtentiam materiæ primæ, ſubjungit: *òd ſi quis acriter contendat S. Doctorem fuiſſe ſententia, non idcirco cogimur defendere.* Dicit autem hæc ſenten (*f*) quòd in natura rerum corporea materia non per ſe participet ipſum

eſſe,

eſſe, ſed per formam ; unde in rebus compoſitis eſt conſiderare duplicem actum, & duplicem potentiam. nam primò quidem materia eſt ùt potentia reſpectu formæ, & forma eſt actus ejus : & iterum natura conſtituta ex materia & forma, eſt ùt potentia reſpectu ipſius eſſe, in quantum eſt ſuſceptiva ejus. Ex eo autem, quòd materia per ſe non habeat exiſtentiam, non poteſt ſimpliciter dici *Ens* : ens enim vocamus, quod eſt oppoſitum nihilo ; & quia in creatis exiſtentia vel maximè facit oppoſitum nihilo, utpote cùm ipſa ſit oppoſita nihilo per ſe ipſam, & ſit ratio omnibus eſſentijs, ut ſint extra nihilum actu ; ideo exiſtens per ſe vel maximè eſt ens, & debet in rigore dici *Ens ſimpliciter*: ſicut in genere lucidorum illud eſt maximè lucidum, quod alijs eſt cauſa lucendi. Sed cùm ad Philoſophiam magìs ſpectent rerum eſſentiæ, inquiritur circa illas, an quidquid non eſt nihil, poſſit dici ſimpliciter *ens*, an verò aliqua eſſentia ſit eſſentia & ens ſimpliciter, reliquæ verò per ordinem ad illam? Quam quæſtionem decidimus juxta Philoſophum (*g*) ijs verbis, quæ ad finem capitis 9. citata ſunt ; & dicimus quòd ens ſimpliciter ſit illa eſſentia

tia,

quæ per ſe & primò habet exiſtentiam,
icet Subſtantia: *Solus enim ſubſtantiæ non ineſſe ſubjecto tanquam alicui, quod n ſit ens.* (*b*) & *formæ ſubſtantiales ſunt idem in materia, ſed non in ſubjecto* (*i*)
amvis ſubſtantiæ ſint ex ſubjecto, hoc
compoſitè exiſtant. Accidentia autem
æſupponunt ſubſtantiam, neque acqui-
nt exiſtentiam niſi ex ſuppoſito, quòd
ec ſit; & ideo non dicuntur ſimpliciter
itia, ſed additur illis terminus diminuens,
appellantur *entia ſecundùm quid*, vel
ntis entia, vel *entia ſecunda*, & cauſantur
b ente propriè dicto: quia enim illud,
uod dicitur maximè & veriſſimè in quo-
bet genere, eſt cauſa eorum, quæ ſunt
òſt in illo genere; ideo ſubſtantia, quæ
ſt primum in genere entis, maximè & ve-
iſſimè eſſentiam habens, oportet quòd ſit
cauſa accidentium, quæ ſecundariò & qua-
i ſecundùm quid rationem entis partici-
pans (*k*). Sed adhuc accidentia non ſunt
minimè ens: nam accidentia, etiamſi non
perveniant ad exiſtentiam, niſi ex ſuppoſi-
tione, quòd ſubſtantia habeat eſſe, ſunt
tamen actus & ratio alicujus determinatæ
eſſentiæ: at verò materia prima (quam-
vis ex eo, quòd ex illa fiat ſubſtantia &

CAPUT X.

Quid ſit Materia prima?

INter principia Generationis, naturæ, quæ ſubjicitur mutationi, dicitur *Materia prima*, quæ teſte Ariſtotele (*a*) *ſcibilis eſt per analogiam: ut enim ad ſtatuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliquid aliud habentium formam, materia & informe ſe habet priùs quàm accipiat formam, ſic hæc ad ſubſtantiam, & hoc aliquid & quod eſt, ſe habet.* Et nè quis putaret, quòd Ariſtoteles voluerit ponere perfectam paritatem inter materiam artefacti, & materiam primam, ideo, prӕterquam quòd dixerit illam ſciri tantùm per analogiam, *hoc eſt*, ut interpretatur S. Thomas (*b*) *ſecundùm proportionem*, ſubjungit inſuper: *Unum igitur principium hæc, non ſic unum exiſtens, neq; ſic ens, ut hoc aliquid*, cùm interim æs ſit tale principium ſtatuæ, ut ſit unum exiſtens & ens & hoc aliquid antecedenter ad formam ſtatuæ. Solùm ergo voluit Ariſtoteles id, quod 7. Metaphyſ: cap: 7 expreſſit: *Cuncta, quæ aut naturâ aut arte fiunt, materiam habent; poſſibile eſt enim eſſe & non eſſe eorum unum-*

unumquodq;; hoc autem cujusq; materia. Ceterum quemadmodum teſte S. Dionyſio (*c*) DEUS optimus maximus ob infinitam ſuæ naturæ perfectionem bifariam à nobis cognoſcitur: uno modo removendo ab eo quæcunque non ſunt perfectiones ſimpliciter, veluti cùm dicimus: Deum non diſcurrere, non eſſe corporeâ mole præditum. altero affirmando ea, quæ important perfectionem ſimpliciter, ut cùm DEum ſummè bonum, ſummè ſapientem eſſe pronuciamus; ità materia, quod præter alios advertit D. Bonaventura (*d*), ob ſuam tenuitatem & defectum dupliciter à nobis explicatur, ſcilicet vel inficiatione, cùm ei omnem actum perfectionémque denegamus; vel affirmatione, cùm eidem id, quod defectum & potentiam deſignat, attribuimus. Priori modo deſcripta fuit ab Ariſtotele (*e*) his verbis: *Dico autem materiam, quæ per ſe ipſam neq; quid, neq; quantum nec aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur.* Poſteriori modo eandem deſcripſit, cùm dixit: *Dico enim materiam primum ſubjectum uniuscujusq;, ex quo fit aliquid, cùm inſit, non ſecundùm accidens, & ſi corrumpitur, in hoc abibit ultimum.* (*f*). Potentia

tia

tia ad formam ſubſtantialem ſubſtantialis eſt (*g*) adeóque nulla eſt ratio illam diſtinguendi à materia, tanquam eſſet aliqua proprietas ad illam conſequens: ſed materia, cùm ſit primum recipiens, habet ſe ſic ad ſuam potentiam paſſivam, ſicut DEUS, qui eſt primum agens, ſe habet ad ſuam potentiam activam: unde cùm Deus ſit ſua potentia activa, materia prima eſt ſuæ potentia paſſiva (*b*) Hæc autem potentia paſſiva per adventum formæ & actûs non deſtruitur: nam materia prima quamvìs poſſit corrumpi per accidens, in quantum in ea ceſſat eſſe privatio quæ inerat; ſecundùm ſe tamen, & in quantum eſt quoddam ens in potentia, eſt ingenita & incorruptibilis; quia ipſa eſt primum & ultimum ſubjectum, & conſequenter impoſſibile eſt, ut fiat ex alio ſubjecto, vel in aliam materiam primam reſolvatur. (*i*) Ex quo patet, quòd potentia non auferatur per actum, niſì ſecundùm quod potentia dicit privationem actûs.

(*a*) 1. *phyſic:* c. 7. *tex:* 69 (*b*) *in illum locum lect:* 14. (*c*) *cap:* 1. *de Div: Nomin:* & *lib: de myſtica Theologia c.* 2. & 3. *citatur à Conimbricenſibus* 1. *phyſic: c.* 9. *q:* 2. *a.* 1. (*d*) 2. *diſt:* 3. *a.* 1. *q:* 2. *num:* 12; (*e*) 7.

Me-

Metaphyſ: cap:3. (*f*) 1. *phyſic: c. 9. tex: 82.* (*g*) *S. Thomas* 1. *phyſic: lect: 15.* (*h*) *S. Thomas* 1. *diſt: 3. q: 4. a. 2. ad 4.* (*i*) *Vide Ariſtot:* 1. *phyſ: tex: 82. & S. Thomam ibid: lect: 15.*

CAPUT XI.

An Materia prima ſit potentia abſq; omni actu?

LIb: 1. phyſicorum cap: 8. refert Ariſtoteles abſurdas quorundam Philoſophorum opiniones (*a*) qui ex inſcitia principiorum eò adducti ſunt, ut omnem ſubſtantiæ generationem interitúmque negârint. Erat autem eorum ratio hæc: Quidquid oritur, aut oritur ex eo quod eſt, aut ex nihilo. Non ex eo quod eſt, quia res jam eſſet antequam oriretur: non ex nihilo, quia ex nihilo fieri aliquid non poteſt, ſiquidem ſemper debet aliquid ſubjici, è quo res gignatur. ergo nulla eſt generatio, nec ullus interitus. Cui rationi ut reſpondeat Philoſophus, monet, quòd ex eo, quod eſt, aut ex eo, quod non eſt, poſſit aliquid fieri vel per

ſe,

ſe, vel per accidens: ſicut medicus medetur per ſe, & ex medico per ſe fit non medicus; ex medico autem per accidens fit albus, & medicus ædificat per accidens. Ac deinde dicit; quòd aliquid fiat ex nihilo per accidens, quia fit ex privatione, quæ eſt non ens, & eſt principium corporis per accidens, quia non eſt principium componens eſſentiam rei factæ. Similiter dicit, quòd aliquid fiat ex eo, quod eſt, per accidens. Per quæ voluit dicere, quòd aliquid fiat ex non ente, ſed non in quantum eſt non ens; & ex ente fit aliquid, ſed non in quantum eſt ens. Quia verò quærere aliquis potuiſſet ex Ariſtotele: cùm neque ex ente, neque ex non ente fiat aliquid niſì per accidens, omne autem, quod eſt per accidens, reducatur ad aliquid, quod eſt per ſe; ex quo ergo tandem per ſe fit ens & aliquid? Ideo ad hanc dubitationem ſolvendam ſubjungit: Cùm ens dividatur in ens actu & ens potentiâ, quòd ex ente in potentia per ſe fiat aliquid; ex ente in actu autem vel ex non ente fit aliquid per accidens. Ex quibus conſtat, quòd materia prima, ex qua per ſe fit ens & aliquid, ſit ens in potentia.

Sed de hoc ente in potentia celebris eſt controverſia; aliqui enim dicunt illam eſſe potentiam ſic, ut nullum prorſus actum involvat: alij concedunt illi actum entitativum, dicúntque illam eſſe in potentia paſſiva ad actum formalem. Priorem ſententiam tuentur Conimbricenſes (*b*), dicúntque quòd *hæc aſſertio eſt tam Peripatetica, quam Platonica ſchola communis*. Pro eadem videtur loqui S Thomas, (*c*) dum ait: *Materia prima non poteſt præfuiſſe per ſe ipſam ante omnia corpora formata, cùm non ſit niſi potentia tantùm*; & inde infert, impoſſibile eſſe, *quòd ex materia priùs creata à DEo aliquis Angelus omnia viſibilia corpora formaverit*. Et certè Vaſquez (*d*) expreſſè aſſerit Sanctum Doctorem docuiſſe, quòd Materia prima ſit pura potentia, nec habeat ideam propriam in DEo. Ariſtoteles videtur faviſſe huic ſententiæ etiam ex eo, quia quod hujus ſententiæ ſectatoribus de facto objicitur, jam olim objectum eſt ab antiquis, & ſolutum eſt ab Ariſtotele (*e*) Inferebant enim illi materiam eſſe non ens, & quòd aliquid fieret ex non ente ſimpliciter: & ad hoc inducebantur ratione Parmenidis dicentis, quòd quidquid eſt præter

ter ens eſt non ens, unde cùm materia ſit præter ens, quia non eſt ens actu, dicebant eam ſimpliciter eſſe non ens. Ad quod reſpondet Philoſophus, quòd materia ſit non ens per accidens, & quòd per hoc diſtinguatur à privatione, quòd privatio ſit non ens & nullo modo ſubſtantia; materia autem ſit *prope rem*, *& ſubſtantia aliqualiter.* Quam objectionem etiam ponit & ſolvit 1. de Gener: & Corrupt: cap: 5. tex: 11. S. Auguſtinus de materia prima ſic loquitur (*f*) *Citiùs non eſſe cenſebam quod omni formâ privaretur, quàm cogitabam quiddam inter formam & nihil, nec formatum nec nihil, informe, prope nihil.* Et infrà. *Mutabilitas rerum mutabilium capax ipſa eſt formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. & hæc quid eſt? nunquid animus? nunquid corpus? nunquid ſpecies animi vel corporis? ſi dici poſſet nihil aliquid? &* EST NON *hoc eam dicerem.* Quòd ſi materia prima eſt pura potentia, & unumquodque agit in quantum eſt actu, ſequitur quòd materia non poſſit ad productionem formarum activè concurrere.

(*a*) *Ità Conimbric: in explanatione capi* 8. (*b*) *lib:* 1 *phyſic: cap:* 9. *q:* 3. *a.* 1. (*c*) 1. *con-*

contra Gentes cap: 43. (*d*) *in* 1. *partis S. Thomæ q:* 13. *a.* 3. *diſput.* 74. *cap:* 3. (*e*) 1. *Phyſic: c.* 9. *ut videre eſt apud S. Thomam ibi lect:* 15. *ad initium.* (*f*) *lib:* 12. *Confeſſi cap:* 6.

CAPUT XII.

An Materia prima habeat propriam exiſtentiam?

QUòd materia prima habeat propriam exiſtentiam, & conſequenter quòd divinitus poſſit exiſtere abſque omni forma ſubſtantiali, tenent Conimbricenſes (*a*) & Pererius (*b*): uterque tamen dicit, pro contraria ſententia ſtare S. Thomam (*c*); idémque affirmat Suarius (*d*), nec videtur valde repugnare Arriaga (*e*): cùm enim explicuiſſet S. Thomam pro ſua ſententia dante propriam exiſtentiam materiæ primæ, ſubjungit: *Quòd ſi quis acriter contendat S. Doctorem in ea fuiſſe ſententia, non idcirco cogimur eam defendere.* Dicit autem hæc ſententia (*f*) quòd in natura rerum corporearum materia non per ſe participet ipſum

eſſe,

tia, quæ per ſe & primò habet exiſtentiam, ſcilicet Subſtantia: *Solius enim ſubſtantiæ eſt non ineſſe ſubjecto tanquam alicui, quod jam ſit ens.* (b) & *formæ ſubſtantiales ſunt quidem in materia, ſed non in ſubjecto* (i) quamvis ſubſtantiæ ſint ex ſubjecto, hoc eſt compoſitè exiſtant. Accidentia autem præſupponunt ſubſtantiam, neque acquirunt exiſtentiam niſi ex ſuppoſito, quòd hæc ſit; & ideo non dicuntur ſimpliciter entia, ſed additur illis terminus diminuens, & appellantur *entia ſecundùm quid*, vel *entis entia*, vel *entia ſecunda*, & cauſantur ab ente propriè dicto: quia enim illud, quod dicitur maximè & veriſſimè in quolibet genere, eſt cauſa eorum, quæ ſunt pòſt in illo genere; ideo ſubſtantia, quæ eſt primum in genere entis, maximè & veriſſimè eſſentiam habens, oportet quòd ſit cauſa accidentium, quæ ſecundariò & quaſi ſecundùm quid rationem entis participant (k). Sed adhuc accidentia non ſunt minimè ens; nam accidentia, etiamſi non perveniant ad exiſtentiam, niſi ex ſuppoſitione, quòd ſubſtantia habeat eſſe, ſunt tamen actus & ratio alicujus determinatæ eſſentiæ: at verò materia prima (quamvis ex eo, quòd ex illa fiat ſubſtantia &

ens ſimpliciter, ſit magìs ens quàm accidentia) cùm ſit pura potentia, eſt merum poſſe eſſe, debétque priùs per aliud determinari ad certam eſſentiam, quàm exiſtentiam acquirat; & propter hoc eſt viciniſſima nihilo, quia inter ea, quæ opponuntur nihilo, maximè recedit ab ente propriè dicto: ſicut ille color intermedius, qui maximè recedit ab albedine, eſt viciniſſimus nigredini. Et hinc aliqui ſic argumentantur: Inter ea, quæ quoquo modo ſunt, materia prima eſt remotiſſima à DEo, illíque diſſimillima, cùm ſcilicet DEUS ſit maximè ens. ſed DEUS eſt actus purus. ergo materia prima eſt potentia pura. Jam verò quia à termino, qui habet adjunctum ſyncategorema diminuens, non valet argumentatio ad terminum ſimplicem, idcirco, cùm materia ſit ens ſecundùm quid, vel ens in potētia; non licet inferre: ergo eſt ens.

(*a*) *lib*: 1. *Phyſic*: *cap*: 9. *quæſt*: 6. (*b*) *De communibus rerum naturalium principijs lib*: 5. *cap*: 13. (*c*) *quæſt*: 4. *de potentia a*. 1. & 1. *p*: *q*: 7. *a*. 2. *ad* 3. & *ibid*: *q*: 66. *a*. 1. & *quodlibet*: 3. *q*: 1. *a*. 1. & *alibi*. (*d*) *diſp*: 15. *Metaph*: *ſect*: 9. *num*: 2. (*e*) *diſp*: 2. *Phyſ*: *ſect*: 5. *ſubſect*: 2. (*f*) S. *Thomas* q: *de*

de ſpirit: creaturis a. 1. (*g*) *Ariſt*: 7. *Metaphyſ: cap*: 1. (*h*) *S. Thom: opuſc*: 31. (*i*) *Idem lib*: 1. *de Gener*: *lect*: 24. (*k*) *S. Thom: opuſc: de ente & eſſent: cap*: 7.

CAPUT XIII.

An Materia prima ſit nihil, & quomodo in exiſtendo dependeat à forma?

NUm ergo dicemus materiam primam eſſe nihil? improbat hoc in antiquis Philoſophis Ariſtoteles (*a*): neque nos id aſſerimus. Videtur tamen aliquibus ex hoc antecedente: *Materia prima non eſt ens*; bene ſequi: *ergo eſt nihil*; cùm ens & non ens ſint contradictoria, inter quæ non poteſt dari medium. Sed nos dicimus materiam primam non eſſe nihil, ſed aliquid: non quidem abſolutè aliquid, ſed aliquid in potentia, quod eſt aliquomodo medium inter ens & nihil. Quòd ſi quis ſimpliciter dicat: *ens*, & *non ens*; non facit contradictoria logica: nam contradictoria logica, juxta Dialecticos,

debent eſſe affirmatio & negatio ejuſdem de eodem: cùm ergo hi termini: *ens, non ens*; non ſint affirmatio & negatio, non ſunt contradictoria logica. Ceterum ſi ex iſtis terminis fiant hæ propoſitiones: *Materia prima eſt ens: Materia prima non eſt ens;* ſunt propoſitiones contradictoriæ, & ſecunda ex illis eſt vera. Sed hæc propoſitio: *Materia prima non eſt ens;* non æquivalet, neque infert hanc: *ergo Materia prima eſt non ens*, ſive *nihil*. Nam in primis hæ duæ propoſitiones: *Materia prima eſt ens; materia prima eſt non ens;* non ſunt contradictoriæ: utraque enim eſt affirmativa, cùm contradictoria debeant eſſe affirmatio & negatio. Deinde hæ duæ: *Materia prima eſt non ens*, & *materia prima non eſt ens;* non ſunt contradictoriæ: prima enim propoſitio eſt affirmativa, & identificat materiæ primæ non ens, ſive nihilum; ſecunda autem non negat non ens ſive nihilum de materia prima, ſed ens; adeóque in his duabus propoſitionibus non eſt affirmatio & negatio ejuſdem. Inſuper juxta regulas dialecticas non bene argumentamur à propoſitione negativa ad propoſitionem affirmativam infinitantem hoc modo; *Homo per ſe ipſum non*

eſt

eſt albus, ergo homo per ſe ipſum eſt non album: & inde etiam malè infertur; *Materia prima non eſt ens, ergo eſt non ens*: cùm enim conſequentia ſit affirmativa, ut eſſet vera, deberet prædicatum identificari ſubjecto; quòd ſi prædicatum identificaretur ſubjecto, tunc identificaretur materiæ primæ carentia entis, & ſic entia naturalia fierent ex nihilo.

Materia prima eſt cauſa cōpoſiti naturalis; nec tamen propterea eſt opus illam exiſtere pro priori naturæ ad formam; quia influit in eſſentiam compoſiti ùt cauſa paſſiva, quæ non dat eſſe, ſed recipit, & cùm componat intrinſecè id, cujus eſt cauſa, poteſt perfici per exiſtentiam ſui effectûs; quod non contingit in cauſa efficiente: quia iſta dat eſſe ſuo effectui, neq; illum intrinſecè componit. Et hinc materia non eſt ſubjectum actuale reſpectu formæ ſubſtantialis, ſed potentiale tantùm. Duplex enim eſt potentia ſubjectiva: una ad eſſe ſimpliciter ſive primum, altera ad eſſe tale ſive ſecundum. Et quia eſſe tale præſupponit eſſe ſimpliciter, ideo potentia ſubjectiva ad eſſe tale præſupponit ſimpliciter eſſe; & quia eſſe eſt actus, ideo potentia ſubjectiva ad eſſe tale, debet eſſe

in actu, & vocatur ſubjectum actuale. Eſſe autem ſimpliciter & primum non poteſt ullum eſſe præſupponere, cùm implicet prius primo: Hinc potentia ſubjectiva ad eſſe ſimpliciter eſt potentia ad actum primum, & conſequenter non poteſt habere actum ante actum primum, nec reſpectu ſui actûs eſſe ſubjectum actuale; ideóque vocatur ſubjectum potentiale, hoc eſt potens eſſe ſubjectum in actu. Quando ergo dicimus, quòd materia prima ſit ſubjectum potentiale formæ ſubſtantialis, ſignificamus, quòd ſit potentia paſſiva & receptiva primi eſſe, quod non habet per ſe, ſed per formam, quæ eſt actus primus: non autem volumus ſignificare (prout aliqui exiſtimant) quòd materia ſit purè poſſibilis, & in potentia activa cauſæ creantis. Et ſic etiam materia eſt prior formâ, & cauſat illam, ùt potens recipere eſſe per formam, cùm materia ſecundùm ſe præcisè nullum habeat eſſe.

Imò implicat contradictionem, ut materia prima habeat aliquod eſſe ſinè forma ſubſtantiali. Quam concluſionem eſſe S. Thomæ (*b*) arbitratur Arriaga (*c*), dicítque idem fateri Conimbricenſes. Sicut

cut enim impoſſibile eſt exiſtere à parte rei genus, quod non ſit contractum ad ſpeciem per aliquam differentiam; ità implicat, ut materia, quæ ſecundùm ſe eſt merè indifferens, vaga & indeterminata potentia ad ens, ſit ens, nisì determinetur ad aliquem ſpecialem modum eſſendi, & ad eſſentiam certam. ſed hoc non ſit nisì per formam, quæ eſt ſpecificatio ſeu determinatio ad ſpeciem. implicat ergo materiam ſinè omni forma ſubſtantiali exiſtere. Illud ſcilicet vocamus formam ſubſtantialem, quod eſt actus primus, per quam eſt ſubſtantia actu: unde ſi materia, quæ ſecundùm ſe eſt ſubſtantia in potentia, exiſteret actu ſinè forma, eſſet ſubſtantia actu ſinè actu ſubſtantiali. Eſt itaque forma de eſſentia materiæ exiſtentis, & in genere cauſæ formalis conſtituit materiam in actu: quia autem impoſſibile eſt, ut defectus cauſæ formalis ſuppleatur per aliquod aliud genus cauſæ, cùm cauſa formalis ſit intrinſeca pertinens ad ſpecificationem, ideo etiam impoſſibile eſt, ut DEUS faciat materiam exiſtentem abſque omni forma ſubſtantiali. E contrario formam ſubſtantialem materialem, & formas accidentales poteſt

Deus conſervare abſque cauſa materiali: cùm enim cauſa materialis influat ſuſtentando formas materiales in eſſe, adeóque ſolùm quoad exercitium illas ponendi, poteſt illius abſentia ſuppleri per cauſam efficientem, cui proprium eſt influere in exercitium eſſendi. Præterea materia prima eſt pura potentia, hoc eſt, non habens per ſe ullam rationem, per quam ſit in certa ſpecie; forma autem eſt actus & ratio eſſendi, ipſáque determinatio, & ſic habet majus jus exiſtendi, quàm habeat materia prima, & eſt magìs res, quàm materia prima: quamvìs abſolutè non poſſit dici res, nisì ſolum compoſitum. unde Doctor Angelicus in hymno Euchariſtico ab Eccleſia communiter recepto formas accidentales negavit eſſe res, dicens: *Sub diverſis ſpeciebus, ſignis tantùm, & non rebus, latent res eximiæ.*

(a) 1. Phyſic: cap: 9. *(b) S. Thom: 4. de poten: a. 1. & alijs locis citatis cap: præcedente literâ c. (c) Diſput: 2 phyſ: ſect. 6. ſubſect: 2.*

Caput XIV.

De Forma Subſtantiali.

For-

FOrma ſubſtantialis eſt actus primus per quam eſt ens primò. Hinc ſequitur (a) quòd non poſſint in eadem materia poni plures formæ ſubſtantiales invicem eſſentialiter ſubordinatæ: nam illa, quæ adveniret poſterius, non faceret ens primò & ſimpliciter, ſed illud jam factum præſupponeret, adeóq; non haberet eſſentiam formæ ſubſtantialis, quæ conſiſtit in hoc, ut per illam ſit ens primò. Propter quam rationem excludimus etiam à viventibus formam corporeitatis diſtinctam ab anima: eadem enim anima tribuit plures effectus formales: nam in quantum per illam aliquid ſimpliciter eſt, tribuit effectum formalem ſubſtantiæ; in quantum per illam eſt unum compoſitum capax quantitatis, tribuit eſſe corporis, & eſt forma corporeitatis; in quantum conſtituit naturam potentem movere ſe ipſam, eſt vita vel anima, & tribuit eſſe viventis &c. Quæ doctrina eſt Doctoris Angelici tum alibi, tum 3. p. q. 75. a. 6. ad 2. cùm ait: *Anima eſt forma corporis dans ei totum ordinem eſſe perfecti, ſcilicet eſſe, & eſſe corporeum, & eſſe animatum; & ſic de alijs.* Unde etiam in ſententia illius in Euchariſtia vi converſio-

nis ponitur forma corporis Chriſti: prout declarat eodem art: in c. his verbis : *Si forma ſubſtantialis panis remaneret, nihil de pane converteretur in corpus Chriſti, niſi ſola materia : & ità ſequeretur, quòd non converteretur in corpus Chriſti totum, ſed in ejus materiam, quod repugnat formæ Sacramenti, quâ dicitur : Hoc eſt corpus meum.* Quomodo ergo hoc ſit explicat eodem art: ad 2. inquiens : *Convertitur forma panis in formam corporis Chriſti ſecundùm quod dat eſſe corporeum, non autem ſecundùm quod dat eſſe animatum tali animâ.* ſecundùm hoc enim ponitur concomitanter, juxa doctrinam Concilij Tridentini. Et per hunc modum diſcurrendi optimè explicatur, quomodo Converſio Euchariſtica ſit Tranſubſtantiatio.

Ex eodem capite, ex quo rejicimus formas ſubſtantiales totales eſſentialiter ſibi ſubordinatas, rejicimus etiam formas ſubſtantiales partiales ſubordinatas formæ totali viventis : hæ enim ſi dant eſſe primò & ſimpliciter, prout exigit ratio formæ ſubſtantialis, tunc forma totalis illas conſequens non dat niſi eſſe ſecundò, & tale, ſicq; forma totalis eſt accidens : ſi au-

tem forma totalis dat eſſe primò, tunc formæ partiales non dant eſſe primò, & ſic non ſunt ſubſtantiales. Neque eſt ulla neceſſitas illarum formarum ſive ante vitam, quo tempore ponimus in materia Formam embrionis, ſive poſt vitam, quo tempore forma, quam dicimus cadavericam eſt, in materia, & ſic facies & caro corrupta non nisì æquivocè dicitur facies aut caro perinde, quaſi lapidea aut lignea facta ſit, (*b*). Heterogeneitas autem partium, & differentia, quâ pes differt à manu, & hæc à capite, corde, cerebro, accidentalis eſt, proveniens à diverſitate ſpecifica diſpoſitionum. Quamvìs etiam admittamus, quòd inter illas partes ſit ſpecifica ſubſtantialis differentia ſecundùm quid: quatenus anima illis partibus diverſo modo ſe communicat; quod indè apparet, quia in una parte eſt radix talium accidentium, in alia autem parte aliorum, & hinc, quia modus ſe communicandi pertinet ad ſpeciem, modus diverſus communicationis facit ſpeciem diverſam ſecundùm quid, & reddit corpus organicum, organizatione ſubſtantiali ſecundùm quid diverſâ. Quam ſenten-

tiam ſequitur Suarez (*c*) confirmans illam authoritate S. Thomæ.

Non poſſunt in eodem corpore eſſe plures formæ ſubſtantiales ſibi non ſubordinatæ; vel enim eſſent ejusdem rationis vel diverſæ:non ejusdem rationis:quia formæ intrà eandem ſpeciem non ſunt multæ, nisì ratione materiæ, quæ eſt radix intrinſeca individuationis rerum naturalium (*d*); adeóque in una materia non poteſt eadem ſpecies multiplicari. nō etiam diverſæ rationis;*quia unum* eſt proprietas entis, & ſicut proprietas ſequitur ſuum fundamentum, ità viciſſim ex proprietate bene arguimus ad fundamentum; unde ubi non eſt unum ſimpliciter & per ſe; ibi nec eſt ens ſimpliciter & per ſe. atqui duæ formæ non faciunt unum per ſe. ergo neque faciunt ens per ſe; adeóque compoſitum ſubſtantiale ſi haberet duas formas, non eſſet unum & ens per ſe, quod eſt contra rationem ſubſtantiæ & compoſiti naturalis: nam unius rei eſt tantùm unum eſſe ſubſtantiale. Quòd autem duæ formæ ſubſtantiales non faciant unum per ſe, patet indè; quia quævis forma ſubſtantialis dat eſſe. ergo duæ formæ dant duo eſſe, ergo non faciunt unum

per

per ſe, nec ens per ſe. Verum quidem eſt, ut voluerunt quidam, quòd homo ſit parva quædam civitas aut regnum: malè tamen inde intulerunt: ergo ſicut in quovis bene ordinato regno aut civitate eſt triplex genus hominũ, unum quæſtuoſum complectens mercatores & artifices; alterum militare ad expellendos hoſtes; tertium conſulare & ſenatorium complectens magiſtratus ad rempublicam gubernandam; ità in homine oportet eſſe tres animas, unam concupiſcibilem commodorum, reſidentem in hepate, & correſpondentem claſſi hominum quæſtuoſæ; deinde animam iraſcibilem, quæ inſtar militaris repellit adverſarios, & reſidet in corde; ac demum diſcurſivam, quæ ut princeps reſidet in cerebro, velut in arce & capitolio. Malè, inquam, ſic intulerunt: nam cùm homo ſit unus per ſe, non tenet perfecta paritas cum regno vel civitate, quæ ſunt unum per accidens. Liceat itaque de numero animarum uſurpare id, quod de numero Principum in republica ſapienter dixit Philoſophus (*e*): *Non eſt bonum pluralitas principatuum: unus ergo princeps.*

(*a*) *S. Thomas 2. contra Gentes cap. 58. 1. p.*

1 p: q: 76. a. 3. & 4. & alibi. (b) Ariſtot: 2. de Generat: Animal: cap: 1. (c) libro 1. de anima cap: 2. (d) Vide infrà caput 37. & 38. (e) Ariſtot: 12. Metaph: c. 10.

CAPUT XV.

De Toto Compoſito & Unione, per quam Materia & Forma ſunt unum.

EX materia & forma ſic conſtituitur unum, ut in compoſito naturali non ſint plura actu, ſed tantùm in potentia Hanc aſſertionem deducimus ex ijs, quæ ſuprà diximus de materia & forma: quòd ſcilicet nec materia ſeorſim, nec forma ſeorsī, ſint ēs, nec duæ eſsētiæ, niſi ſũmùm analogicè, adeóq; nō poteſt de ijs bis dici: *eſt* & *ens*. ubi autē ſunt duo actu, poteſt bis dici: *eſt* & *ens* (*a*). Confirmátque S. Thomas hanc noſtram ſententiam hujusmodi ſimilitudine (*b*): quando uno fune trahitur navis à pluribus hominibus,

quam.

quamvìs ſit una tractio, ſunt tamen plures trahentes; ità ſi materia & forma eſſent actu plura & diſtincta, tunc quando homo ſentiret, etiamſi eſſet unica ſenſatio, ſentirent tamen plura & actu diſtincta, eſſéntque plures ſentientes. quod eſt abſurdum. Niſì fortè quis dicat cum Platone, quòd anima ſit in corpore tantùm ùt motor per quem movetur corpus tanquam navis à nauta, & tanquam pars altera realiter actu diſtincta: ſi tamen hoc dicatur, videtur non poſſe immortalitas animæ rationalis ſufficienter colligi ex operationibus intellectûs: nam animæ immortalitatem colligimus ex operationibus intellectûs hoc modo, Cùm nihil poſſit operari excellentiori modo, quàm ſit, intellectus verò operetur per ſe abſque concurſu & influxu corporalis organi; ſequitur quòd intellectus ſit per ſe, & abſque influxu corporalis organi: Cùm autem potentia intellectiva ſit proprietas animæ, & proprietas non poſſit excedere ſuum fundamentum & eſſentiam, ex qua emanat, ſequitur quòd anima hominis ad ſuum eſſe non indigeat influxu corporis & materiæ. Quod autem non indiget influxu corporis ad ſuum ſubſiſtere, poteſt

manere etiam extra corpus,& conſequenter eſt immortale. ergo anima rationalis eſt immortalis. Quòd ſi etiam animæ materiales operarentur per ſe, poſſent exiſtere per ſe, & tamen non eſſent immortales. ergo ſic totum argumentum pro immortalitate animæ rationalis deſumptum ab operatione intellectûs rueret.

Sed illa unio, quæ facit materiam & formam eſſe unum, éſtne entitas realiter ſive abſolutè ſive modaliter diſtincta à materia & forma ? Dicendum cum Conimbricenſibus (c): *Non poſſe materiam & formam in unum conjungi, niſi illa ad hanc recipiendam idoneis accidentibus ab agente præparetur; atq; ità dari cauſam extrinſecam prædicti nexûs, nempe ipſum generans; tum præterea diſpoſitiones ab eo inductas, quæ partim ad cauſam ipſam efficientem, partim ad materialem ſpectant. Ad efficientem, quatenus ſunt inſtrumenta per quæ generans operatur; ad materialem, quatenus vagam materiæ potentiam coërcent, habilémq; reddunt ad hanc certam & definitam formam recipiendam. Ceterum nulla datur interna cauſa media, cur ex materia diſpoſita & ex forma ſubſtantiali unum per*

ſe

ſe fiat: nec hujus rei alia ratio eſt, niſi quòd pura potentia ejúſq; actus ſubſtantialis ad ſe primò vicisſim ordinantur. & ingenitâ propenſione abſq; alio medio in unum conſpirant, deniq; naturali quâdam ſocietate ad totum perficiendum uniuntur. Ità illi citantes pro hac ſententia Ariſtotelem (*d*) & D. Thomam (*e*). Et certè non eſt opus unione diſtinctâ, ſi non ſit indifferentia inter materiam & formam, quæ debeat tolli: ſicut autem juxta aliàs dicta (*f*) materia ſecundùm ſe non habet indifferentiam, ut exiſtat per formam, vel exiſtat ſinè illa; ita licèt materia ſimpliciter accepta ſit indifferens ad hanc numero formam, tamen materia hæc, hoc eſt, his numero accidentibus ultimò diſpoſita, non habet indifferentiam, ut exiſtat per hanc numero formam, vel exiſtat ſinè illa per aliam, ſed eſt determinata ad hanc numero formam ſic, ut non poſſit recipere ullam aliam. Neque verò ſinè cauſa tribuimus accidentibus hanc vim determinativam: nam omnis forma determinat, & in omnium ſententia certa collectio accidentium in ſpecie habet vim determinandi ad ſpeciem compoſiti. ergo cùm hæc numero accidentia, ſicut ſunt magìs determinata,

nata, ità oporteat eſſe magìs determinativa, non determinant ſolùm ad ſpeciem, ſed & ad numerum. Præterea indifferentia omnis eſt ad plura: unde ſi non niſi unum ſit poſſibile, eo ipſo nulla ad illud poteſt eſſe indifferentia: non eſt autem in his circumſtantijs & reſpectu hujus materiæ ulla alia forma poſſibilis, quàm hæc (nam forma eſt poſſibilis primariò quidem per denominationem extrinſecam à potentia DEI, ſecundariò autem per denominationem extrinſecam à potentia activa & paſſiva cauſæ creatæ; & hæc forma ideo eſt poſſibilis, quia eſt hæc activa & paſſiva potentia cum his circumſtantijs & conditionibus, in quibus & à quibus non poteſt eſſe ulla alia forma: unde quia pro priori non eſt niſi hæc activa & paſſiva potentia, non eſt poſſibilis ulla alia forma præter hanc) ergo pro priori non eſt ulla indifferentia, quam ſit opus tollere per unionem ſuperadditam. Requiritur ergo ad unionem præter materiam & formam agens & diſpoſitiones, ſed non ùt intrinſecè conſtitutiva, verùm ùt applicantia materiam & formam, ut ſint unum, & ut forma effectum ſuum formalem communicet materiæ, quod quidem

dem præſtare non poteſt, niſi materia ultimatè ſit diſpoſita. Et quia impoſſibile eſt, ut pro duabus formis ſimul & ſemel materia ſit ultimatè diſpoſita (nam quod eſt proportionatum uni quà tali, non poteſt eſſe proportionatum alteri, quà alterum eſt) ideo una forma unita dicit in materia privationem omnis alterius formæ, & impoſſibile eſt, ut duæ formæ cum effectibus ſuis formalibus ſint in eadem materia. Sed quia diſcurſus jam factus videtur potiſſimùm procedere de forma ſubſtantiali; ideo ut habeatur ratio communis pro omnibus formis, quare ſcilicet illæ ad eſſendum in materia vel ſubjecto non indigeant unione diſtinctâ; ſupponendum eſt id, quod inferiùs (g) dicetur nimirum, quòd in entibus materialibus diverſitas formarum intrà eandem ſpeciem, ſive diſtinctio purè numerica, deſumatur penes diviſionem materiæ vel ſubjecti, in quo primò producuntur, & penes diverſitatem circumſtantiarum, in quibus producuntur. Ex quo ſequitur, quòd antequam ſupponatur forma eſſe in materia, & in his circumſtantijs loci, temporis &c. nec ſit hæc, nec iſta, nec illa, nec plures numero formæ; adeóque non po-

poteſt materia vel ſubjectum eſſe indifferens ad hanc, vel ad iſtam, vel ad illam formam. Imò impoſſibile eſt, ut in materia vel ſubjecto ſit alia forma quàm hæc; quia forma eſt hæc per hoc, quòd ſit in hac materia vel ſubjecto. ergo ſicut impoſſibile eſt formam eſſe in hoc ſubjecto, & ſimul nón eſſe in hoc ſubjecto, ità impoſſibile eſt formam eſſe in hoc ſubjecto, & non eſſe hanc formam: nam eſſe hanc formam nihil eſt aliud, quàm illam eſſe in hac materia, vel in hoc ſubjecto. Et ſicut impoſſibile eſt, ut ſit hoc ſubjectum, & non ſit hoc ſubjectum; ſic impoſſibile eſt, ut in hoc ſubjecto non ſit hæc forma; nam formam eſſe hanc, eſt, illam eſſe primò in hoc ſubjecto. ergo formam non eſſe hanc, ſed aliam, eſt illam non eſſe primò in hoc ſubjecto; ſed in alio. ergo ſi alia forma, quàm hæc, eſſet in hoc ſubjecto, tunc deberet hoc ſubjectum non eſſe hoc, ſed aliud; quod eſt impoſſibile. Suppoſito ergo principio de individuatione formarum, non eſt poſſibilis indifferentia materiæ vel ſubjecti ad hanc, vel illam formam, neque indifferentia formæ ad hanc vel illam materiam, aut ad hoc vel illud ſubjectum. Ubi autem

tem non eſt indifferentia, ibi non eſt opus unione diſtinctâ, ergo in compoſito non eſt opus unione diſtinctâ.

(*a*) *De hac aſſertione Ariſtot:* 7. *Metaphs cap:* 13. & *D. Thomas ibid: lect:* 13. (*b*) *D. Thomas* 1. *p: q:* 76. *a.* 2. *in c.* (*c*) *lib:* 1. *phyſic: c.* 9. *q:* 11. *a.* 2. (*d*) 2. *de anima tex:* 7. & 8 *Metaphyſ: in fine* (*e*) 2. *de anima lect:* 1. & *in fine libri* 8. Metaph: *Ariſtotelis.* (*f*) *ſuprà cap.* 13. (*g*) *cap:* 37. & 38.

CAPUT XVI.

De Natura.

NAtura ad mentem Ariſtotelis (*a*) bene definitur: *Principium & cauſa motûs & quietis in eo, in quo eſt primò & per ſe, & non ſecundùm accidens.* Naturale eſt, quod eſt à natura. Violentum quod procedit ab extrinſeco nullam vim conferente paſſo. Quamvìs DEUS inferat rebus violentiam, ùt eſt agens hujus particularis effectûs; tamen ùt eſt agens univerſale videtur non inferre: quælibet enim res eſt ità conſtituta, ùt, quamvìs habeat inclinationem ad aliqua, quæ conducunt ad bonum particulare

ipſius,

ipſius, ſi tamen finis naturæ, & univerſi bonum id exigat, malit carere bono ſuo particulari, moverique ad effectus ſibi adverſos, quàm ut bonum univerſi detrimentum patiatur. Cujus ea videtur ratio: quia conſervatio cujuslibet rei in particulari, pendet à bono & conſervatione totius univerſi: hinc in communi periculo quævis res quodammodo obliviſcitur boni particularis, ut proſpiciendo bono communi vel maximè curam gerat boni privati: Unde videtur à natura duci illud Politicæ dictamen, quod pauci obſervant: Bonum publicum privato eſſe præhabendum. Ars, naturæ ſimia, producit effectum ſimilem formæ, quæ eſt intentionaliter in mente, ſupponitque naturam: & effectibus à ſe procedentibus tribuit denominationem purè extrinſecam artefactorum: quia autem denominationes purè extrinſecæ non ponuntur in prædicamentis, ideo malè quiſpiam poſuit undecimum prædicamentum artefactorum. Cauſæ rerum naturalium, quæ ad omne ens phyſicum neceſſariò concurrunt, & verè influunt, ſunt quatuor: Scilicet *Finalis*, *Efficens*, *Materialis*, *Formalis*.

(a) *Ariſtot. 2. phyſ. tex: 3.*

Caput XVII.

De Relatione Cauſarum ad effectus poſſibiles.

Cauſa prima non dicit relationem tranſcēdentalem realem ad creaturas poſſibiles: quia relatio tranſcendentalis eſt quædam dependentia ſeu eſſentialis connexio. atqui cauſa prima non habet dependentiam realem à creaturis, nec connectitur eſſentialiter cum illis tanquam res cum re. ergo cauſa prima non habet ullam realem tranſcendentalem relationem ad creaturas poſſibiles. Hæc aſſertio nititur duabus alijs aſſertionibus: Prior eſt: Eſſentia creaturæ, ſive creatura de ſe, priùs quàm fiat à Deo, non eſt res aliqua phyſica & poſitiva in ſe, nec habet in ſe ullum verum & reale eſſe. Poſterior: Poſſibilitas creaturarum, antequam exiſtant, eſt denominatio purè extrinſeca proveniens ab omnipotentia, ſcientia, & alijs attributis DEI: ipſa autem eſſentia, quæ denominatur poſſibilis, antequam acquirat exiſtentiam, non eſt aliquid in

ſe:

ſe: ſi enim eſſet quocunque ſenſu aliquid in ſe, vel illud, quod eſt, eſſet à DEO, vel non. ſi non eſſet à Deo, non eſſet principiatum, ſed principium primum; atque ità darentur duo prima principia rerum. Si eſſet à DEO, vel eſſet ab illo liberè vel neceſſariò. non neceſſariò: quia DEUS ad extra non operatur neceſſariò: non etiam liberè; quia DEUS cum tempore incepit operari libere, eſſentiæ autem juxta Adverſarios ſunt æternæ, & independentes à tempore (quod nos ſic explicamus, quòd æternæ fuerint quoad veritatē, quam ab æterno habuerunt in mente Divina). & quamvìs daremus, quòd eſſentia creaturæ fuiſſet libere ab æterno, non potuiſſet tamen eſſe nisi per productionem, quæ terminatur ad exiſtentiam realem, & ſic creatura, antequam producatur, habet exiſtentiam realem: aut ſi non habet, tunc eſſentia eſt potentia paſſiva ad exiſtentiam in tempore acquirendam, & ſic (quod negant Adverſarij) eſſentia & exiſtentia diſtinguuntur realiter, Quòd ſi quis difficultatem velit ſolvere per eſſe Logicum, oportebit priùs explicare, quid tandem ſit illud eſſe Logicum, an ſit aliquod eſſe reale, an objectivum, an chymæri-

mæricum, an aliquod aliud; & tunc facilè redibit argumentum jam factum. Sententiam noſtram his verbis tradit Doctor Angelicus (*a*): *Omnes creaturæ antequam eſſent, non erant poſſibiles eſſe per aliquam potentiam creatam, cùm nullum creatum ſit æternum; ſed per ſolam potentiam Divinam, in quantum DEUS poterat eas in eſſe producere.* Idem tradit Suarez (*b*). Et ſic optimè ſalvatur, quomodo mundus factus ſit ex nibilo tam eſſentiæ quàm exiſtentiæ: quamvìs, quia creaturæ omnes, & connexio prædicatorum eſſentialium exiſtebat ab æterno in mente Divina, DEUS produxerit mundum ex mundo archetypo, qui erat in illius ſapientia, à qua eſt omnis neceſſitas, quæ eſt inter prædicata eſſentialia, & veritas omnium propoſitionum, quas dicimus *æternæ veritatis.* Neque inferas: Poſſibilitas creaturarum eſt denominatio extrinſeca proveniens à DEO. ergo mundus poſſibilis eſt DEUS: nam mundus poſſibilis eſt concretum, & dicit duo: Potentiam activam ſive poſſibilitatem, quæ eſt forma hujus concreti; & hanc admittimus eſſe DEUM: & id, quod à potentia activa denominatur poſſibile, quod cùm in ſe non ſit aliquid,

neq; poteſt eſſe idem cum DEo, neq; ab eo poſitivè diſtinctum: identitas enim & diſtinctio ſunt prædicata entis, de quo iterum inferiùs (c). Dicimus etiam, quòd creatura, quæ denominatur poſſibilis, in ſe nihil ſit, ità tamen, ut ſenſus hujus propoſitionis ſit negativus, hoc eſt, quòd non ſit aliquid; non autem affirmativus, quòd ſit non aliquid. Relatio ergo tranſcendentalis cauſæ primæ ad creaturas poſſibiles, non eſt realis: eſſentia enim creaturæ non eſt aliqua res, antequam producatur; ſed eſt ſolùm relatio rationis, quatenus eſſentia creaturæ non eſt DEUS: infert enim DEUS eſſentialiter poſſibilitatem creaturarum, & eſt tota ratio poſſibilitatis ipſarũ, ità ut dicere: *DEUS poteſt producere Petrum, quia eſt poſſibilis*; non ſit aſſignare cauſalitatem niſi ſolùm quoad noſtram notitiam, quatenus ſcilicet magìs notæ nobis ſunt creaturæ, quàm DEUS, ideóque eas adhibemus pro medio cognoſcendi DEUM. E contrario DEUS non eſt ratio impoſſibilitatis; impoſſibilitas enim eſt non ens, atqui ens quà ens non eſt ratio non entis, ergo nec DEUS, qui eſt omnis omnino potentia & omne ens, eſt ratio impoſſibilitatis.

Cau-

Cauſæ creatæ ad ſuos effectus activè poſſibiles quà tales, ſive potiùs ad poſſibilitatem effectuum referuntur relatione reali; ſi enim implicaret eorum activa poſſibilitas, quæ eſt DEUS, implicarent conſecutivè omnes cauſæ creatæ. Si tamen cauſæ creatæ ſumantur prout ipſæ ſunt productivæ effectuum, ſive in quantum ipſæ ſunt poſſiblitas ſecunda ſuorum effectuum, habéntque potentiam activam participatam à Deo, denominant ſuos effectus *poſſibiles*: & referuntur ad illos ſecundùm rationem tantùm. Poſſunt tamen etiam dici referri ad poſſibilitatem paſſivam ſuorum effectuum relatione reali, quatenus per paſſivam poſſibilitatem intelligitur materia prima: nam cauſæ creatæ, quæ non poſſunt cauſare per creationem, ad hoc, ut agant, eſſentialiter requirunt materiam primam: cum qua DEUS utpote creator non neceſſariò connectitur.

(a) 1. *p: q: 9. a. 2. in* ☉. *quibus ſimilia habet q: 3 de potentia a. 2. ad 2. (b) Diſput.* 31. *Metaphyſ. ſect: 3. (c) cap: 47.*

Caput XVIII.

De Prioritate Naturæ.

Quia omnis cauſa eſt quoddam principium, à quo principiatur & originatur aliquid, ideo omnis cauſa poteſt dici eſſe prior origine ſuo effectu. Verùm quia, quod procedit ab aliquo principio, non ſemper procedit ab illo ùt à cauſa, ſed purè ùt à principio, ideo ad diſtinctionem ſolemus illud principium, quod ſimul eſt cauſa, dicere *Prius naturâ*; quod autem eſt purè principium alicujus, ſolemus dicere *Prius origine*. Quo modo in Divinis Pater eſt prior Filio, & uterque Spiritu Sancto. Cauſa omnis eſt prior naturâ, aut, quod idem ſonat, pro priori naturæ ad ſuum effectum; ſed non in eodem prorſus rigore una, in quo altera: nam ſtrictiſſima prioritas naturæ eſt, quando natura eſt ab alia natura actu; & hanc prioritatem ſic explicamus: quòd ſit *habitudo & ordo plurium, quorum unum, quod eſt ſibi inſufficiens ad eſſendum, reſultat ex alio, quod per ſuam exiſtentiam vel eſſentiam intrinſecam conſtituit ſaltèm partialiter potentiã proximam completã ad illud aliud*. Hinc cauſa materialis & for-

formalis, in quantũ ſunt præciſè conſtitutiva & ſuſtentativa, nõ ſunt hac ſtrictiſſimâ prioritate naturæ priores ſuo effectu: quia non conſtituũt hoc modo potentiam proximam ad totum, ſed ipſum totum in actu. In quantum autem cauſa materialis antecedente tempore fuit ſubjectum tranſmutationis exiſtens per formam antiquam, eſt propriè prior naturâ per eſſentiam intrinſecam: quia verè eſt à parte rei tametſi per aliud. Similiter cauſa finalis, quia non movet ùt exiſtens, ſed ùt poſſibilis & ùt eſt in cognitione, non eſt ſtrictiſſimâ prioritate prior, quamvìs ſit ità prior cognitio finis; itémque cauſa efficiens, quia eſt potentia actu exiſtens, ex qua effectus effluit, eſt propriè prior naturâ. Quando dicimus illud, quod eſt cauſa, eſſe in ſigno priori naturæ, non eſt ſic accipiendum, ut per ſignum prius intelligatur aliqua pars temporis vel inſtans per noſtrum intellectum diviſum, cui correſpondeat cauſa eo modo, quo res in tempore exiſtens correſpondet tempori: nam prioritas originis & naturæ eſt independens ab omni noſtro conceptu aliquid fingente: ſed ſignum prius nihil aliud eſt, quàm ipſa adæquata potentia

cauſæ ad cauſandum, & ſignum poſterius naturæ nihil eſt aliud, quàm ipſe effectus productus, nec ad hoc eſt opus ullo tempore vel inſtanti & diviſione illorum. Et ſic tempus plurimorum annorum poteſt conſtituere unum ſignum prius. v. g. ad hoc, ut ego eſſem viginti annorum, requirebatur per ſe exiſtentia ſucceſſiva annorum novendecim. ergo hi anni novendecim ſunt per ſe requiſiti, conſtituúntque potentiam proximam, ut ſim annorum viginti, atqui quod aliqualiter conſtituit unam potentiam proximam, eſt cum ceteris unum ſignum prius. ergo novendecim anni conſtituunt ſignum unum prius reſpectu anni vigeſimi. Similiter quia ad hoc, ut ego naſcerer, requirebatur meus parens, & ad hujus exiſtentiam avus, & ſic uſque ad Adamum, ità ut quocunque horum deficiente ego non fuiſſem natus; ideo hi omnes complent unam potentiam adæquatam ad mei exiſtentiam, & ſic reſpectu meæ exiſtentiæ ſunt unicum ſignum naturæ: quamvis hoc ſignum naturæ, ſicut complectitur multas cauſas & multos effectus illis ſubordinatos, ità complectatur multa alia ſigna naturæ priora & poſteriora. Hoc modo etiam

mo-

motivum probabile cum imperio voluntatis & motivo ſcientifico conſtant unam cauſam adæquatam, & ſunt ſignum unicum reſpectu judicij conſequentis: & inter motivum ſcientificum & probabile cū imperio voluntatis, ſicut nulla eſt cauſalitas, ità nulla prioritas nec poſterioritas. Juxta hanc prioritatis explicationem optimè dicitur, quòd lux v. g. à ſole producta ſit quidem in inſtanti, non tamen pro priori: quia hoc nihil aliud eſt dicere, quàm quòd lux ſit quidem in inſtanti, ſed non hoc certo modo, hoc eſt, non ùt cauſa ſolis ſed tantùm ùt effectus illius.

CAPUT XIX.

De Mutua Cauſalitate.

SI duæ cauſæ ejuſdem generis ſecundùm idem ſe cauſarent, perinde eſſet, ac ſi is, qui currit, deberet per ipſum curſum primò acquirere pedes, & curreret; ut poſſet currere: qui enim currit, habet potentiam ad currendum; pedes ergo cùm ſint ex parte potentiæ ad currendum neceſſariò requiſiti, ideo qui currit, neceſſa-

ceſſariò habet pedes. ergo per curſum non poteſt illos primò acquirere, neque currere ut pedes habeat & poſſit currere; haberet enim pedes priuſquam haberet. Eodem modo ſi cauſa cauſaret effectum ſecundùm idem, ſecundùm quod cauſatur ab effectu, deberet jam ex parte potentiæ intelligi hoc, quod eſt cauſatum ab effectu, adeóque & effectus deberet intelligi pro priori ſecundùm id, quod primò acquireret pro poſteriori, & ſic eſſet effectus prior ſe ipſo, & cauſa ageret ut poſſet agere id ipſum, quod agit, & à quo agitur. Nihilominus ſecundùm diverſa, & ſi id, quod cauſatur à cauſa B in A, non requirebatur in A ad cauſandum B, poſſunt duæ cauſæ ſe invicem cauſare: ſic cauſa finalis movet efficientem, & efficiens cauſat finem quoad exiſtentiam phyſicam, quæ non requirebatur in fine ad hoc, ut moveret efficientem cauſam: finis enim movet ùt exiſtens objectivè in mente ſive ùt apprehenſus, non ùt exiſtens realiter & in ſe(*a*). Docent etiam Conimbricenſes(*b*) materiam & formam eſſe ſibi invicē cauſas ſecundùm eſſe ſed nō ſecundùm cauſalitatē; dicúntq; idem doceri à S.Thom:in 5.Metap:lect:2.ſub finē, ubi S. Doctor

Doctor ait: *Forma autem & materia ſibi invicem ſunt cauſa quantùm ad eſſe: forma quidem materiæ, in quantum dat ei eſſe actu; materia verò formæ, in quantum ſuſtentat ipſam.* (c). Materia cauſat formam in quantum cauſat compoſitum, in quo eſt forma,& cujus eſſe recipit per formam: forma viciſſim cauſat materiam, in quantum cauſat compoſitum, & eſt actualitas illius. Nec eſt in hoc mutua prioritas invehens repugnantiam: nam materia cauſat ſecundùm potentialitatem, quam non hab.t à forma; forma autem cauſat ſecundùm ſuam actualitatem, quam non habet à materia, adeóque una cauſa non eſt prior alterâ ſecundùm id, quod habet ab altera. Nec dicas: Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati. ergo cùm materia ſit cauſa formæ, eſt etiam cauſa cauſati à forma, hoc eſt ſui ipſius. Nam hoc axioma juxta Doctorem Angelicum (*d*) tantùm valet in illis cauſis, quando cauſa media ſecundùm id cauſat effectum ulteriorem, ſecundùm quod eſt producta à cauſa priore. & Scotus apud Conimbricenſes (*e*) intelligit illud de cauſis ejusdem generis, adeóque hic non urget.

(*a*) *Ariſtot; 5. Metaphyſic; cap: 2. & 2. phyſ:*

2. phyſic: tex: 30. & D. Thomas ibidem (b) 2. Pyſic: cap: 7. q: 9. a. 2. (c) Vide etiam S. Doctorem q: 28. de Verit: a 7. (d) 1. 2. q: 79 a. 1. ad 3. (e) 2. Phyſic: cap: 7. q: 9. a. 3.

CAPUT XX.
De Cauſa Materiali & Formali.

CAuſa materialis eſt, *ex qua fit aliquid cùm inſit.* (a). quæ ultima particula addita eſt ad excludendam privationem, ex qua fit aliquid, ſed non ùt ex conſtituente. Effectus hujus cauſæ proprius eſt compoſitum: compoſitum enim intrinſecè ex materia conſtat; forma autem eſt effectus illius in quantum eſt in compoſito, & in quantū ſuſtentatur ab ea in eſſe. An verò forma ſuſtonteтur à materia in eſſe, hoc eſt, an indigeat illâ ad exiſtendum, deſumendum eſt ab operationibus: nam cùm modus operandi ſequatur modum eſſendi; ſi forma aliqua operationes ſuas exercere non poteſt, niſi ad illas neceſſariò concurrat materia, non

non poteſt etiam illa forma habere eſſe niſì in materia: quod ſignificatur cùm dicimus: formam eſſe *immerſam potentialitati materiæ*, ſive formam *contineri in potentia materiæ*. Et ex hoc principio inferimus animam rationalem non cauſari à materia: habet enim operationem independentem ab organo corporali, & conſequenter etiam eſſe illius non requirit neceſſariò materiam, neque ceſſat eſſe ex hoc, quòd non ſit conjuncta materiæ, & propterea eſt immortalis.

Cauſa formalis præterquam quòd cauſet compoſitum, quod eſt per formam tanquam per principium intrinſecè componens, eſt ſimul in genere cauſæ formalis prior expulſione formæ veteris: nam forma ſubſtantialis, ùt ex ſuprà dictis(*b*) patet, facit ens primò & ſimpliciter: nõ poteſt autem ens ſimpliciter facere, ſi adſit alia forma; unde eo ipſo, quòd forma communicetur materiæ, repellit omnem aliam formã, & denominat materiam omni aliâ formâ ſubſtantiali privatam. v g. forma ligni eo ipſo quòd faciat lignum, facit non lapidem, non ignem, non hominem &c. Quòd ſi quis dicat præſentiam formæ antiquæ eſſe impedimentum formæ novæ,

2. phyſic: tex: 30. & D. Thomas ibidem (b) 2. Pyſic: cap: 7. q: 9. a. 2. (c) Vide etiam S. Doctorem q: 28. de verit: a 7. (d) 1. 2. q: 79 a. 1. ad 3. (e) 2. Phyſic: cap: 7. q: 9. a. 3°

CAPUT XX.

De Cauſa Materiali & Formali.

CAuſa materialis eſt, *ex qua fit aliquid cùm inſit.* (*a*). quæ ultima particula addita eſt ad excludendam privationem, ex qua fit aliquid, ſed non ùt ex conſtituente. Effectus hujus cauſæ proprius eſt compoſitum: compoſitum enim intrinſecè ex materia conſtat; forma autem eſt effectus illius in quantum eſt in compoſito, & in quantũ ſuſtentatur ab ea in eſſe. An verò forma ſuſtentetur à materia in eſſe, hoc eſt, an indigeat illâ ad exiſtendum, deſumendum eſt ab operationibus: nam cùm modus operandi ſequatur modum eſſendi; ſi forma aliqua operationes ſuas exercere non poteſt, niſi ad illas neceſſariò concurrat materia,

non

non poteſt etiam illa forma habere eſſe niſì in materia; quod ſignificatur cùm dicimus: formam eſſe *immerſam potentialitati materiæ*, ſive formam *contineri in potentia materiæ*. Et ex hoc principio inferimus animam rationalem non cauſari à materia: habet enim operationem independentem ab organo corporali, & conſequenter etiam eſſe illius non requirit neceſſariò materiam, neque ceſſat eſſe ex hoc, quòd non ſit conjuncta materiæ, & propterea eſt immortalis.

Cauſa formalis præterquam quòd cauſet compoſitum, quod eſt per formam tanquam per principium intrinſecè componens, eſt ſimul in genere cauſæ formalis prior expulſione formæ veteris; nam forma ſubſtantialis, ùt ex ſuprà dictis(*b*) patet, facit ens primò & ſimpliciter: nõ poteſt autem ens ſimpliciter facere, ſi adſit alia forma; unde eo ipſo, quòd forma communicetur materiæ, repellit omnem aliam formã, & denominat materiam omni aliâ formâ ſubſtantiali privatam. v g. forma ligni eo ipſo quòd faciat lignum, facit non lapidem, non ignem, non hominem &c. Quòd ſi quis dicat præſentiam formæ antiquæ eſſe impedimentum formæ novæ,

& viciſſim illius abſentiam eſſe diſpoſitionem ad formam novam, & propterea debere cum alijs diſpoſitionibus eſſe pro priori naturæ: Reſpondendum eſt, quòd ſi abſentia impedimenti haberi poſſit per ipſam poſitionem formæ novæ, non ſit opus, ut illa abſentia ſit diſpoſitio & pro priori. Si tamen adhuc aliquis diceret illam eſſe diſpoſitionem; dicendum eſt cum S. Thoma.(c): *Nihil prohibet aliquid altero eſſe prius & poſterius ſecundùm diverſum genus cauſæ. Sic ergo dicendum, quòd quandocunq; à materia una forma expellitur, & alia inducitur, expulſio formæ præcedentis eſt prior naturaliter in ratione cauſæ materialis: omnis enim diſpoſitio ad formam reducitur ad cauſam materialem; denudatio autem materiæ à forma contraria eſt quædam diſpoſitio ad formæ ſuſceptionem. Sed in ratione cauſæ formalis eſt prior naturaliter introductio formæ, quæ formaliter perficit ſubjectum, & expellit contrarium.*

(a) *Ariſtot*: 2. *Phyſic*: *tex*: 28. (b) *cap*: 13, & 14. (c) *q*: 28. *de Veritate a*. 7.

Caput XXI.

De

De Cauſa Efficiente.

CAuſa efficiens Ariſtoteli (*a*) eſt: *unde primum principium eſt mutationis aut quietis*; vel claritatis gratiâ: *Primum principium à quo eſt mutatio aut quies*. Quam definitionem non cupimus eſſe univocam reſpectu cauſarum ſecundarum, quæ tantùm per motum agunt, & reſpectu cauſæ primæ creantis: ſupponimus enim aliunde (*b*), quòd nullum nomen de DEO & creaturis dicatur univocè. Convenit ergo hæc definitio propriè cauſis creatis; poteſt tamen accommodari DEO creanti, ſi ly *mutatio* minùs ſtrictè accipiatur, pro quocunque tranſitu à non eſſe ad eſſe: quia etiam creatio eſt hujusmodi tranſitus in natura. Difficultas major eſt, ut explicetur, quomodo cauſa efficiens ſit primum principium: nam etiam materia & forma dicuntur ab Ariſtotele eſſe prima principia generationis. videtur ergo, quòd cauſa efficiens ab illis non diſtinguatur ſufficienter. Deinde quando DEUS concurrit cum cauſis ſecundis ad actus liberos, determinatur in actu ſecundo ab operatione cauſæ libe-

liberæ, quæ in ſubſiſtendi conſequentia eſt prior quàm concurſus DEI, adeóque ſi cauſa efficiens debet eſſe id, quod eſt principium abſolutè primum, ſequitur, quòd DEUS non ſit cauſa efficiens ullum actum liberum creatum. Ad hanc difficultatem dicimus, quòd Ariſtoteles aſſignando definitionem cauſæ efficientis, ſolùm voluerit diſtinguere cauſam efficientem ab omni ea quæ non eſt efficiens; non autem intendit aſſignare diſtinctionem inter ipſas ſpecies cauſæ efficientis. Senſus ergo definitionis eſt iſte: *Cauſa efficiens eſt, quæ in genere realiter cauſandi comparata cum alijs generibus cauſarum, quæ concurrunt ad mutationem, eſt prior omnibus illis ſaltem in ſubſiſtendi conſequentia.* Et ſic quamvìs materia & forma ſint principia intrinſeca & prima in ſuo genere, non ſunt tamen prima in omni genere: nam materia eſt prior quàm forma, & materia præſupponit in ſubſiſtendi conſequentia ipſum agens; materia enim recipit formam, quia agens agit; non viciſſim. Eodem modo DEUS in caſu, quo adeterminatur ad concurrendum ab opertione cauſæ liberæ, quia non habet aliquam cauſam diverſi generis priorem in ſubſiſtendi

ſiſtendi conſequentia, eſt cum creatura primum principium, à quo eſt operatio & ſic eſt ſimul cum creatura cauſa efficiens actûs liberi. Videretur tamen fortè cauſa finalis potiùs eſſe prior omnibus ceteris cauſis, quia finis movet agentem, & cauſa efficiens creata non agit nisì mota à fine Sed dicendum, quòd finis cauſet priùs ſolùm quoad intentionem, & tanquam id propter quod fit aliquid; non autem quoad executionem & influxum realem, & tanquam id, à quo fit aliquid. Dicit enim Ariſtoteles (*c*), quòd cauſa finalis ſit, *cujus gratia cetera fiunt*, & cauſatio illius conſiſtit in hoc, quòd bonum cognitum moveat potentiam ad amorem ſui, atque ad electionem & poſitionem mediorum deſervientium ad exiſtentiam phyſicam vel poſſeſſionem boni cogniti.

(*a*) 2. *Phyſic. tex.* 29. (*b*) *ſuprà cap.* 5. & *infrà cap.* 46. (*c*) 2. *phyſic. text* 29.

CAPUT XXII.

De Cauſa Prima Efficiente.

Da-

DAri aliquam cauſam primam efficientem agnovit Philoſophus ; nam 7. Phyſic: tex: 3. poſtquam oſtendiſſet, omne quod movetur, ab alio moveri, ſubjungit: *At non in infinitum hoc proficiſcitur, ſed ſtabit tandem alicubi, atq; erit quidpiam, quod primò cauſa erit, ut omnia moveantur.* Athei ad negandam cauſæ primæ exiſtentiam recurrunt ad proceſſum & ſucceſſionem infinitam cauſarum. Sed quidquid ſit de ſucceſſione temporaria cauſarum, non poteſt tamen in prioritatibus naturæ procedi in infinitum. Nam prioritas naturæ nihil eſt aliud, quàm potentia proxima adæquata & completa, ex qua reſultat aliud, quod eſt ſibi inſufficiens ad eſſendum; unde omnia illa, quæ per ſe requiruntur ad cauſandum, & ſinè quibus effectus non poneretur, faciunt unicam prioritatem naturæ; & conſequenter ſi ad mei exiſtentiam requirebantur infinitæ cauſæ ſibi in tempore ſuccedentes, omnes illæ cauſæ reſpectu mei faciebant unicam prioritatem naturæ, & ſic in prioritatibus naturæ ad quemcunque effectum non proceditur in infinitum. Jam autem illa prioritas naturæ, includens infinitas cau-

ſas

ſas ſibi ſuccedentes in tempore, vel eſt potentia completa & ſufficiens ad cauſandum, vel non eſt. Si eſt ſufficiens ad cauſandum, eſt etiam ſufficiens ſibi ipſi ad exiſtendum, quia cauſa re efficienter ſupponit exiſtentiam in eo, quod cauſat, nec poteſt modus cauſandi eſſe perfectior, quàm modus exiſtendi; ſi autem eſt ſufficiens ſibi ipſi ad exiſtendum, non accipit exiſtentiam ſuam ab alio, ſed eſt à ſe, & ſic illa prioritas eſt cauſa prima & DEUS. Quòd ſi verò illa prior itas includens infinitas cauſas, nondum eſt potentia ſufficiens ad cauſandum, debebit ad hoc, ut effectus aliquis cauſetur, ad illas infinitas cauſas accedere aliqua ſufficientia, quæ ſit aliquid præter illas cauſas: hanc autem ſufficientiam dicimus cauſam primam, vel DEUM. ergo datur cauſa prima.

Verùm quia non omnes admittunt noſtram doctrinam de prioritate naturæ, ſed concipiunt prioritates naturæ per modum ſucceſſionis in tempore, ideo nè videamur totam demonſtrationem ponere in illo fundamento, independenter ab illo ſic demonſtramus cauſam primam. Impoſſibile eſt, ut aliquid ſit, niſi detur perfecta ſufficientia ad hoc, ut ipſum ſit. atqui ſolum

lum ens incauſatum & non factum eſt perfecta ſufficientia ad eſſendum. ergo impoſſibile eſt, ut aliquid ſit, niſi detur ens incauſatum & non factum. Minor probatur. Quidquid indiget alio ad hoc ut ſit, non eſt perfecta ſufficientia ad eſſendum: atqui omne illud, quod cauſatum eſt, indiget alio ad hoc ut ſit. ergo omne, quod cauſatum eſt, non eſt perfecta ſufficientia ad eſſendum. ergo ſolum ens non cauſatum eſt perfecta ſufficientia ad eſſendum. Nec evades per quamcunque multitudinem cauſatorum: nam per hoc, quòd inſufficientiæ addatur quantumcunque major inſufficientia, nunquam fiet ſufficientia. Imò ſi poſueris multitudinem cauſatorum infinitam, ſic urgebimus argumentum. Impoſſibilitas ſufficientiæ non poteſt eſſe ſufficientia. atqui multitudo infinita cauſatorum eſt impoſſibilitas ſufficientiæ ad eſſendum. ergo multitudo infinita cauſatorum non poteſt eſſe ſufficientia ad eſſendum. Minor probatur. Impoſſibile eſt infinitum pertranſiri, adeóq; multitudo infinita cauſatorum facit, ut nunquam poſſit perveniri ad aliquod incauſatum, quod ſolum eſt perfecta ſufficientia. atqui id, quod ex ratione ſua in-

trin-

trinſeca facit, ut non poſſit perveniri ad perfectam ſufficientiam eſſendi, illud eſt impoſſibilitas ſufficientiæ ad eſſendum. ergo multitudo infinita cauſatorum eſt impoſſibilitas ſufficientiæ ad eſſendũ. Dices, Quamvis ſinguli milites ſint inſufficientes ad vincendum totum exercitum, tamen collectio illorum facit ſufficientiam vincendi exercitum. ergo ſimiliter quamvis ſingula cauſata ſint inſufficientia ad eſſendum, tamen collectio illorum faciet ſufficientiam, nec erit opus aliquo incauſato. Reſpondemus eſſe diſparem rationẽ: nam illa inſufficientia non convenit militi ùt miles eſt, ſed ùt eſt unus & ſumptus abſque alijs; quia ergo per collectionem plurium non manet ampliùs unus, non manet etiam ratio inſufficientiæ & inſufficientia. At verò enti cauſato ex intrinſeca ratione entis cauſati convenit inſufficientia; & quia per collectionem quamcunque nunquam illis tollitur ratio entis cauſati, ideo ſemper manet ratio inſufficientiæ & inſufficientia. Sic quia ratio ligni non convenit partibus domûs præciſè ùt ſeorſim ſunt, ideo ſi partes ſingulæ domûs ſunt ligneæ, à potiori domus ipſa

eſt

eſt lignea. Et hujusmodi plurimæ inſtantiæ in utramque partem dari poſſunt.

CAPUT XXIII.

De influxu DEI in omnia cauſata.

OMnia entia extra DEUM conſervantur in ſuo eſſe à DEO; (a) quemadmodum enim aër, quia non habet lucem ex vi ſua, ſive, quia non eſt ſibi ſufficiens ad habendam perfectionem lucis; quandocunque habet lucem, habet illam à ſole vel aliquo luminoſo; ità à fortiori omne ens cauſatum, quia ex vi ſua non habet eſſe, nec eſt ſibi ſufficiens ad eſſendum, quandocunque habet eſſe, habet illud à Deo, qui ſolus eſt perfecta ſufficientia ad eſſendum. Porrò influxus DEI in entia cauſata non tantùm eſt neceſſarius, ſed debet etiam eſſe immediatus, ità ut concurſum ſuum non poſſit à ſe abdicare & committere totum influxum alicui cauſæ creatæ. Deberet enim talis creatura per hoc ipſum eſſe perfecta ſufficientia

cientia ad cauſandum effectum: & quia modus operandi non poteſt excedere modum eſſendi, deberet talis creatura eſſe perfecta ſufficientia ad eſſendum: quòd ſi eſſet perfecta ſufficientia ad eſſendum, non indigeret ad ſuum eſſe aliquo extra ſe, adeóque non eſſet cauſata, quod eſt contra rationem creaturæ. ergo DEUS non poteſt totum influxum committere cauſæ creatæ (*b*). Præterea in omni effectu eſt aliqua perfectio, quâ caret cauſa creata, & quæcunque cauſarum creatarum multitudo, ſic ut habeat imperfectionem illi perfectioni effectûs oppoſitam; quia cauſa creata habet ſibi identificatas multas imperfectiones, à quibus ipſa non diſtinguitur; effectus autem diſtinguitur ab illis imperfectionibus ſuæ cauſæ; diſtingui autem ab imperfectionibus eſt perfectio, & non diſtingui ab illis imperfectionibus eſt oppoſita imperfectio: unde in effectu eſt perfectio, quæ non eſt in cauſa creata, imò cujus oppoſita imperfectio eſt in cauſa. cùm ergo nulla cauſa poſſit ſe ſola immediatè cauſare illam perfectionem, quam ipſa non habet, imò cui oppoſitam imperfectionem habet; ſequitur, quòd nulla creatura poſſit eſſe cauſa adæquata ullius

lius

lius effectûs, ſed quòd DEUS immediatè debeat concurrere; quia ipſe ſolus habet diſtinctionem ab omnibus omnino imperfectionibus.

Sed nunquid etiam DEUS eſt cauſa peccati? Suarius diſput: 11. Metaph: allegat ſexdecim SS. Patres, & poſt eos S. Thomam, (*c*), quem ipſe ſequitur, pro hac ſententia, quòd ſcilicet malum pro formali, ſive malitia, à qua res aliqua denominatur mala, non ſit res aliqua ſeu forma poſitiva, neque etiam mera negatio, ſed privatio perfectionis debitæ in eſſe. Juxta quam doctrinam ſupponimus cum eodem Suario ex Theologia, quòd malum culpæ ſeu peccatum ſimiliter pro formali dicat privationem. Quia tamen omnis privationis eſt aliquod ſubjectum, ideo etiam malitiæ peccati cauſa materialis eſt aliquod ens & bonum, quod dicitur actus peccati; & hic actus eſt à DEO tanquam à cauſa prima omnis entis & actionis in quantum eſt actio: malitia autem peccati non eſt à DEO niſi per accidens, & in quantum eſt conjuncta enti, quod eſt à DEO per ſe. Cujus ratio eſt: quia malitia peccati eſt defectus actionis cauſatus ex defectu agentis; in DEO autem nullus

de-

[fe]ctus eſt, ſed ſumma perfectio; ideóque malitia peccati non poteſt reduci in DEUM tanquam in cauſam, nec DEUS poteſt eſſe cauſa peccati. At verò liberum arbitrium hominis, quia deficit ab ordine primi agentis, nec ſubditur ei, cui debet ſubdi, eſt cauſa non tantùm actûs, ſed etiam ipſius defectûs. (*d*). Quod Doctor Angelicus (*e*) illuſtrat hac ſimilitudine: *Sicut quidquid eſt motûs in claudicatione; cauſatur à virtute motiva; ſed quod eſt obliquitatis in ea, non eſt ex virtute motiva, ſed ex curvitate cruris. Et ſimiliter quidquid eſt entitatis & actionis in actione mala, reducitur in DEUM ſicut in cauſam; ſed quod eſt ibi defectûs, non cauſatur à DEO, ſed ex cauſa ſecunda deficiente.*

(*a*) *Vide Suarium diſput.* 21. *Metaph. ſect.* 1. (*b*) *Hanc aſſertionem tradit Suarius diſp.* 22. *Metaph. ſect.* 1. *Conimbricenſes* 2. *Phyſ. c.* 7. *q.* 12. *a.* 2. *citantes S. Thomam* 1. *p. q.* 105. *a.* 5. (*c*) *S. Thomas* 1. *p. q.* 48. & 49. & 2. *diſt.* 34. & 35. & *alibi.* (*d*) *Videatur S. Thomas* 1. *p. q.* 49. *a.* 2. & 1. 2. *q.* 79. *a.* 2. (*e*) *locis cit.*

CAPUT XXIV.

De

De Motu.

Quia Natura definitur, quòd ſit principium motûs, oportet dicere quid ſit motus. Eſt autem: *Actus ejus quod eſt potentia ut eſt tale.* (a), ſive, ut jam communiter dicitur: *Actus entis in potentia prout in potentia.* Talis actus difficilis quidem eſt cognitu, ut fatetur Ariſtoteles (b): nihilominus pro illius declaratione *Conſiderandum eſt* (c), *quòd aliquid ſit in actu tantùm, aliquid verò in potentia tantùm, aliquid verò medio modo ſe habens inter potentiam puram & actum perfectum. Quod eſt in potentia tantùm, nondum movetur; quod autem jam eſt in actu perfecto, non movetur, ſed jam motum eſt. Illud igitur movetur, quod medio modo ſe habet inter puram potentiam & actum, quod quidem partim eſt in potentia & partim in actu: ut patet in alteratione, cùm enim aqua eſt ſolùm in potentia calida, nondum movetur, cùm verò jam eſt calefacta, terminatus eſt motus calefactionis; cùm verò jam participat aliquid de calore, ſed imperfectè, tunc movetur ad calorem: nam quod calefit paulatim participat calorem magis.*

magis. Ipſe igitur actus imperfectus caloris in calefactibili exiſtens, eſt motus: non quidem ſecundùm id, quod actu tantùm eſt, ſed ſecundùm quod jam in actu exiſtens habet ordinem in ulteriorem actum: quia ſi tolleretur ordo ad ulteriorem actum, ipſe actus, quantumcunq; imperfectus, eſſet terminus, & non motus: ſicut accidit cùm aliquid ſemiplenè calefit. ordo autem ad ulteriorem actum competit exiſtenti in potentia ad ipſum. Et ſimiliter ſi actus imperfectus conſideretur tantùm ut in ordine ad ulteriorem actum, ſecundùm quod habet rationem potentia, non habet rationem motùs, ſed principii motûs: poteſt enim incipere calefactio ſicut à frigido, ità & à tepido. Sic igitur actus imperfectus habet rationem motûs, & ſecundùm quod comparatur ad ulteriorem actum ut potentia, & ſecundùm quod comparatur ad aliquid imperfectius, ut actus. Moventia quæ per contactum agunt, tangendo tanguntur, adeóque moventur (*d*): omne autem, quod movetur, eſt priù. in potentia & poſtea in actu; unde ea, quæ agunt per contactum ex motivis fiunt moventia per aliquem actum, qui dicitur *Actio*. Eſt tamen moventi per accidens, quòd moveatur, ſci-

licet ratione contactûs; nam movens in quantum movens eſt ens in actu, & non in potentia; & ideo non dicitur, quòd motus ſit actus agentis, ſed quòd ſit actus mobilis, cui per ſe competit moveri: mobile enim, in quantum mobile, eſt ens in potentia, unde motus eſt proprius actus illius. Quia autem idem eſt, quod eſt à movente ùt à cauſa agente, & quod eſt in moto ùt in patiente & recipiente, ideo actus agentis ſive *Actio*, & actus mobilis ſive *Paſſio* ſunt idem motus ſecundùm rem ſive ſubjecto, non autem ſecundùm rationem. ſicut enim idem eſt ſpatium aſcendentis & deſcendentis, ſed ſecundùm diverſitatem principij & termini eſt diverſa ratio, quæ vocatur aſcenſio, & alia quæ vocatur deſcenſio; ſic motus eſt quidem idem actus imperfectus, pertinens ad illud prædicamentum, ad quod pertinet forma perfecta, quæ terminat motum; ſed tamen ille actus, prout eſt actus hujus ùt ab agente, eſt *Actio*, & prout eſt actus hujus ùt in patiente, eſt *paſſio*: quæ rationes diverſæ ſunt, & ſecundùm illas reducitur motus ad prædicamentum actionis & paſſionis.

(a) *Ariſtoteles* 3. *phyſic*: *tex*: 6. (b) *ibid*: *tex*:

tex: 15. (c) S. Thomas 3. phyſic: lect: 2. (d) Ariſtot: 3. Phyſic: à tex: 16. uſq; ad 24 & S. Thomas lect: 4 & 5.

CAPUT XXV.

An ſit poſſibile in creatis infinitum actu?

QUia naturalis ſcientia eſt de magnitudine, motu & tempore, hæc autem ſunt vel infinita vel finita, oportet Philoſophum naturalem agere de infinito, an ſit & quid ſit (*a*). Dicitur autem infinitum tribus modis (*b*): primò negativè, quod non poteſt tranſiri, quia eſt ex genere intranſibilium, quomodo vox dicitur inviſibilis, quia non eſt de genere viſibilium. Taliter infinita ſunt omnia indiviſibilia, ùt Deus, anima rationalis, punctum. ſecundò dicitur infinitum, quod quantùm eſt de ſe tranſiri poteſt, non tamen à nobis, aut valde difficulter: hoc modo maris profunditas, aut ſpatia uſque ad cælum ultimum dicuntur eſſe infinita. tertiò dicitur infini-

tum privativè, quod, quia eſt de genere tranſibilium, poſſet tranſiri, non habet tamen tranſitum nec finem: ùt ſi eſſet aliqua linea non habens finem. Et de hoc infinito quærimus hìc: an ſit? Conimbricenſes 3. Phyſic: cap: 8. q: 1. a. 2. dicunt S. Thomam arbitrari (c), quòd nullum infinitum actu à Deo effici poſſit; & art: 3, ubi hanc ſententiam contrariæ præferunt, citant Commentatorem dicentem: *Impoſſibile eſſe apud omnes Philoſophos dari infinitum actu.* Et certè quia quantitas ultimam determinationem & differentiã habet per terminum & diviſionem, ſi daretur quantitas infinita & non terminata, daretur à parte rei quantitas non habens ultimam determinationem & differentiam; quod ſanè implicat, cùm implicet exiſtere à parte rei aliquam rationem genericam ſive ſpecificam, quæ non ſit ultimò determinata. Præterea infinitum categorematicum, quod negamus eſſe poſſibile, nihil aliud eſt, quàm infinitum in actu perfectum, ſive in ratione infiniti perfectum & totum; atqui perfectum & totũ repugnat rationi infiniti, dicente Philoſopho (d): *Infinitum igitur id eſt, cujus ſemper aliquid extra ratione quantitatis*

accipi poteſt; cujus verò nihil eſt extra, id eſt perfectum ac totum. ergo ſi daretur infinitum actu, involveret repugnantiam: quia ratione infiniti aliquid illius eſſet extra, & ratione totius & perfecti nihil illius eſſet extra. Quapropter Philoſophus intulit: *perfectum nihil eſt prorſus, quod non habeat finem*; & iterum: *Fieri non poteſt ut infinitum cum toto ac univerſo perinde atq; cum lino linum nectatur.* (*e*). Nec obſtat quòd DEI potentia ſit infinita, adeóque videatur ei debere correſpondere terminus infinitus; nam primò reſpondent Conimbricenſes ex S. Thoma (*f*): cùm DEUS non ſit cauſa univoca, nec poſſit eſſe talis cauſa, non manifeſtatur nec poteſt manifeſtari tota virtus illius in productione effectûs, ſed effectus illius ſemper debet eſſe minor. Nec tamen potentia DEI propterea erit fruſtranea: quia fruſtra eſt id, quod finem ſuum non aſſequitur; potentia autem DEI, quæ non habet pro fine ſuum effectum, ſed ipſa potiùs eſt finis effectûs, nunquam deſtituitur fine. Secundò reſpondent ijdem ex eodem (*g*): quòd virtus facientis non tantùm conſideratur ex ſubſtantia facti, ſed etiam ex modo faciendi: ſufficit ergo

quòd potentiæ infinitæ DEI correſpondeat modus actionis requirens virtutem infinitam, qualis iuxta eundem eſt virtus creandi ex nihilo. Tertiò reſpondetur, quòd potentiæ infinitæ DEI correſpondeat ad intrà terminus procedens in perfectam ſimilitudinem naturæ, qui eſt ſimpliciter infinitus. quòd verò ad extrà correſpondeat terminus infinitus tantùm ſecundùm quid & in potentia, non eſt ex imperfectione artificis, ſed ex impoſſibilitate termini. Ceterum non negamus in DEI ſapientia actu eſſe poſſibilia infinita: *Abſit enim (b) ut dubitemus, quòd ei notus ſit omnis numerus, cujus intelligentiæ, ſicut in pſalmo canitur, non eſt numerus. Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus ſit numerus, non eſt tamen incomprehenſibilis ei, cujus intelligentiæ non eſt numerus. Quapropter ſi quidquid ſcientiâ comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur, profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo DEO finita eſt, quia ſcientia ejus ipſi incomprehenſibilis non eſt.* Non tamen ſic actu eſſe poſſunt in ſe creaturæ infinitæ, quo modo ſunt in DEI ſapientia: nam in DEI ſapientia habent eſſe nobilius & quaſi divinum, in

in ſe verò limitatum & determinatum, quæ determinatio repugnat rationi indetermi-nati, & infiniti.

(a) Ariſtot: 3. phyſic: tex: 24. (b) Idem tex 33 (c) S. Thom: 1. p: q: 7. a. 1 3 & 4 quodlibet: 12. a. 2 (d) Ariſt: 3. Phyſic: tex: 63 (e) Idem tex: 64. (f) S. Thom: 1, p: q: 25. a. 2. ad 2. (g) Idem 1. p: q. 45. a. 5. ad 3. (h S. Auguſt: de Civit: DEI lib: 12. c. 18.)

Caput XXVI.

Alia quædam de Infinito.

Admittimus ergo in creatis ſolum infinitum ſyncategorematicum ſive in potentia, ſive in actu imperfecto. Dupliciter autem eſt aliquid in potentia (a): uno modo ſic, ut totum poſſit reduci in actum. v. g. æs, quod poteſt eſſe ſtatua, erit tandem ſtatua; & hoc modo non admittimus infinitum in potentia, ùt patet ex præcedente capite: alio modo dicitur ens eſſe in potentia, quia poſtea redigetur quidem in actum, ſed ſemper tantùm in imperfectum, ità ut

quamvìs ſecundùm unam partem ſit actu, ſemper tamen ſecundùm alteram ſit in potentia. Sicut DEUS non poteſt, facere quaternarium majorem (quia ſi eſſet major jam non eſſet quaternarius, ſed alia ſpecies numeri:) ſic cùm ſpecies rerum ſint ſicut numeri, non poteſt DEUS facere rem aliquam in ſua eſſentia meliorem, quàm ipſa ſit. Poteſt tamen DEUS ſimpliciter loquendo quâlibet re à ſe factâ facere aliam meliorem. Quam ſententiam tenent Suarius & Conimbricenſes, citantes pro ea D. Thomam. (*b*). Perfectio enim DEI ſicut eſt infinita, ità eſt infinitis modis imitabilis, adeóque nulla creatura poteſt illam tam perfectè imitari, ut DEUS non ſit ab alia perfectiùs imitabilis; deberet enim illum imitari infinitis modis, & eſſet in perfectione ſimpliciter infinita. Deinde cùm in quavis materia id, quod eſt magìs manifeſtum, debeat aſſumi ad diſcurrendum de ceteris ejusdem generis, quæ ſunt minùs manifeſta; (nam ſicut in alijs, ità quoad noſtram notitiam, verum eſt, quod *primum in unoquoq; genere ſit cauſa ceterorum*:) in materia de infinito autem certiſſimum nobis ſit infinitum in duratione à parte pòſt, de qua nullus Philo-

loſo-

loſophus propter ſummam rei evidentiam dubitâſſe dicitur; oportet diſcurrere de ceteris infinitis juxta notitiam, quam habemus de æternitate à parte pòſt, & hinc, quia in hac implicat aſſignari aliquod inſtans, poſt quod nullum aliud futurum ſit, implicat etiam dari in infinito creaturarum poſſibilium creaturam in perfectione ultimam, poſt quam DEUS non poſſit producere aliam perfectiorem. Similiter implicat aſſignare numerum maximum, poſt quem non ſit alius: in linea infinita punctum terminativum, poſt quod non ſit aliud, adeóque implicat infinitum claudi duobus terminis. Ex quo etiam patet, quòd etiamſi fortè afferrentur pro poſſibilitate creaturæ perfectiſſimæ rationes primo intuitu efficaciores (nam multa falſa ſunt probabiliora veris) & quamvìs fortaſſe non poſſet afferri directa ſolutio hujusmodi argumentorum; tamèn quia manifeſtè retorquentur in æternitate à parte pòſt, & certum eſt, quòd in illa fallant, amittunt etiam omnẽ vim in ceteris.

Unum infinitum in ratione infiniti non poteſt eſſe majus altero v. g. Unum infi-

nitum in numeris non poteſt continere plures numeros,quàm contineat alterum, etiamſi unum contineat plus materiæ quàm alterum; & infinitum ſtellarum, lapidum & hominum ſimul, non eſt majus, quàm ſit infinitum ſolarum ſtellarum, & ſi daretur actu infinitum hominum, quorum unusquisque haberet decem milliones capillorum,non eſſent plures capilli quàm homines. Quæ aſſertio etiamſi primâ fronte videatur incredibilis & falſa, nihilominus ſequitur ex ipſa ratione infiniti: nam ratio infiniti eſt, ut non poſſit pertranſiri & exhauriri, quocunque numero finito finities accepto, adeóque ratio infiniti in numeris exigit, ut quiſcunque numerus finitus inipſo ſit infinities; & ſic in infinito hominum non tantùm debent eſſe infinitæ unitates, ſed & infinitæ decades, & centuriæ, & milliones, & decades millionum unitatum. ergo erunt in infinito hominum tot milliones hominum, quot milliones capillorum. Et ulterior ratio eſt, quia univerſim omnes multitudines ejusdem ſpeciei ſibi congruunt, atqui unum infinitum in multitudine eſt ejusdem ſpeciei cum quovis altero infinito in multitudine, ſicut ſeptenarius

rius cum ſeptenario. ergo unum infinitum in multitudine congruit cujvis infinito in multitudine atqui juxta principium univerſale & infallibile: *quæ ſibi congruunt ſunt æqualia*; ergo infinitum unum in multitudine eſt æquale cuivis alteri infinito in multitudine. Hinc inferimus: In quolibet infinito debere eſſe omnem omnino numerum poſſibilem. Infinito in ea ratione, in qua infinitum eſt, nihil poſſe addi nec demi. Poſitu uno infinito non reſtare ponendum infinitum aliud formaliter. Si daretur infinitum actu, futuram partem tantam, quantum eſt totum; quia eſſent in illo tot binarij, quot quaternarij.

(*a*) *Ariſtot*: 3. *Phyſic*: *tex*: 57. & *D. Thomas ibidem lect*: 10. (*b*) *D. Thomas* 1. *p*: *q*: 25. *a*. 6.

CAPUT XXVII.

Quænam ſint in loco reali?

INitio libri quarti Phyſicorum determinat Ariſtoteles, quòd loci conſideratio ad Phyſicum pertineat: *nam*

omnes ea, quæ ſunt, alicubi eſſe exiſtimant: intellige: *naturalia*: ſi enim eſſe in loco conveniret ſimpliciter omnibus entibus, tunc conſideratio loci non pertineret ad Phyſicum, ſed ad Metaphyſicum, cujus eſt conſiderare ens, & ea quæ ens conſequuntur. hinc etiam ipſe Philoſophus text: 47. ait: *Non eſt enim in loco omne quod eſt, ſed tantùm mobile corpus*. & Boëtius (*a*) citatus à S. Thoma(*b*) dicit inter communes animi conceptiones, quas non vulgus ſed docti comprobant, eſſe hanc: *quæ incorporalia ſunt, in loco non eſſe*. Nihilominus certum eſt etiam incorporalia aliquomodo eſſe in loco; æquivocè tamen: quando enim negatur aliquid eſſe in loco, intelligitur per locum cum Ariſtotele *finis continentis immobilis primus* (*c*); ſive ut communiter dicitur: locus eſt *ſuperficies prima immobilis corporis continentis*; conſequenter eſſe in loco eſt contineri ſuperficie primâ & immobili corporis continentis. atqui incorporalia non poſſunt aliqua ſuperficie corporis contineri: nam contineri ſuperficie corporis eſt quoddam pati à corpore; incorporalia autem non poſſunt pati à corpore, quia non conveniunt in eodem ultimo ſubjecto. ergo incorpo-

corpo-

corporalia non poſſunt hoc modo eſſe in loco. Præterea locus eſt menſura quantitativa contenti: unde dicit Doctor Angelicus (*d*): *ultimum continentis, ut menſura eſt continentis intrinſeca, dicitur ſuperficies* (& hoc modo pertinet ad prædicamentum quantitatis) *ut autem menſura contenti & locati extrinſeca, eſt locus* (facitque novum prædicamentum *Ubi*), menſura autem quantitativa non poteſt menſurare aliquid indiviſibile, qualia ſunt incorporalia: quantumcunque enim ulna traheretur & applicaretur ad unum punctum, nunquam punctum eſſet unius ulnæ; & ideo incorporalia in loco hoc modo eſſe non poſſunt. Sunt ergo ſubſtantiæ ſpirituales in loco, in quantum ſunt præſentes activè loco (*e*); & dicuntur eſſe in loco *æquivocè*, quia non ſunt in loco paſſivè ſive per contactum quantitatis, quæ cùm ſit accidens conſequens rationc materiæ, eſt potiſſimùm ad patiendum; ſed activè & per contactum Metaphoricum & virtutis, quatenus aliquid in loco cauſant. Hoc autem contingit multipliciter (*f*). Primò: quando ſubſtantia ſpiritualis per operationem non dat quidem eſſe, ſed aliquid ad eſſe ſuperadditum,

tum; & ſic Angelus eſt in loco, in quantum circa aliquod corpus locatum operatur lumen vel aliquid aliud. Secundò: quando ſubſtantia ſpiritualis per operationem dat eſſe corpori, non tamen ſuum eſſe ſed aliud: hoc modo DEUS eſt in omni loco. Tertiò: quando ſubſtantia ſpiritualis dat corpori ipſum ſuum eſſe: & ſic anima rationalis eſt in corpore. Sed quid ſi Angelus non operetur circa corporalia? Reſpondet Angelicus Doctor (*g*): *Non reputo inconveniens, quòd Angelus ſinè loco poſſit eſſe, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet: nec eſt inconveniens, ut tunc nuſquam vel in nullo loco eſſe dicatur: ſicut etiam non eſt inconveniens, quòd nullo colore coloratus dicatur: ſed hoc tamen non eſt imaginabile, quia imaginatio continuum non tranſcendit.* Alio altiori modo Angelus ſemper eſt in loco, quatenus eſt in DEO, qui omnem creaturam ſua virtute continet. Sphæra ultima cæleſtis, quæcunque illa ſit, eſt locus communis omnium corporum; ipſa tamen in loco non eſt, niſi per accidens & ratione partium, quæ ſunt potentiâ in loco; (*h*); non hoc ſenſu, quòd illud corpus cæleſte poſſit ambiri alio

alio corpore; ſed ideo, quia partes illius ſphæræ ſunt ſeparabiles; & ſi fieret illarum diſcontinuatio, eſſet actu in toto ſicut in loco. Nec contra hoc obſtat, quòd fortè ultima ſphæra moveatur localiter, adeóque debeat eſſe in loco: nam ad motum circularem ſufficit eſſe in loco ratione partium: quod enim movetur circulariter, ſecundùm ſe totum non mutat locum, ſed tantùm ſecundùm partes. Et ſanè conveniens eſt, ut primus motus localis ſit corporis exiſtentis in loco tantùm per partes, & quidem per tales, quæ tantùm potentiâ ſunt in loco: ſic enim ille motus habet minus difformitatis, quàm motus ceteri; congruum autem eſt, ut primus motus, qui eſt propinquior ſubſtantijs immobilibus, ſit magis uniformis, cùm neceſſe ſit ut ab immobilibus gradatim deſcendatur ad diverſitatem, quæ eſt in mobilibus.

(*a*) *lib. de hebdomadibus cap*: 1. (*b*) 1. *diſt*: 37. *q*: 3. *a*. 1. (*c*) *Ariſtot*: 3. *phyſic*: *tex*: 41. (*d*) *tractatu de natura loci cap*: 2. (*e*) *S. Thomas* 1. *p*: *q*: 52. *a*. 1. (*f*) *S. Thomas* 1. *diſt*: 37. *q*: 3. *a*. 1. (*g*) *Idem ibidem ad* 4. (*h*) *Ariſtot*: 4. *phyſic*: *tex*: 43. & *S. Thomas ibid*: *lect*: 7.

CA-

Caput XXVIII.

De Spatijs imaginarijs & quomodo locus ſit ſuperficies immobilis?

PRæter locum realem, non datur aliquod ſpatium infinitè patens, æternum, & potens recipere omnia corpora poſſibilia, quod dici ſolet *imaginarium*. Non enim eſt illius aliqua neceſſitas vel ad explicandam DEI immenſitatem, vel ad ſalvandam immobilitatem loci, vel ratione ubicationis. Quod attinet ad immenſitatem DEI, dicimus DEUM eſſe ubique, quia eſt in omni loco, hoc eſt in toto univerſo. Extra univerſum eſt eo modo, quo cauſa eſt extra ſuum effectum, cui dat eſſe: continet enim DEUS ſuá virtute univerſum, ideóq; univerſum potiùs eſt in DEO. Non autem eſt extra univerſum hoc ſenſu, quòd per infinita ſpatia ultra cælum extenſa diffundatur: ſicut enim DEUS eſt actu virtutis infinitæ ex hoc ſolùm, quòd ſit po-

potentia actu completa ad producendos effectus plures & plures ſinè fine, quamvis eos actu non producat; ità eſt DEUS actu immenſus, ex hoc, quòd ſit potentia in ſe completa ad producendos plures & plures locos in infinitum, & ſic ad eſſendum in quocunque loco, qui datus fuerit, quamvis eos locos actu non producat, & ſic non ſit in locis infinitis. Quanquam, ſi placet Magni Auguſtini ſententia (*a*), quæ adſtruit, quòd DEUS ab æterno *in ſe habitabat, & apud ſe habitabat, & in ſe eſt DEUS*; DEUS actu ſit in ſpatio infinito. Negativè etiam eſt immenſus DEUS, quia eſt extra genus omnium menſurabilium.

Quod attinet ad loci immobilitatem, dicimus: abſque eo, quòd ponatur ſpatium imaginarium, omnem locum realem eſſe immobilem, ità ut corporibus propriè conveniat definitio loci, quòd ſint ſuperficies immobilis. Dicit enim Philoſophus (*b*): *Sicut vas eſt locus potens transferri, ſic & locus eſt vas immobile.* Sed nunquid corpus continens, & ſuperficies ejus, v. g. aër flante vento, vel aqua fluens movetur? Reſpondemus, quòd ſuperficies continentis non ſit locus, in

quam-

quantum eſt hæc ſuperficies hujus corporis mobilis; ſed ſecundùm ordinem & ſitum, quem habet in toto immobili v. g. Stet arbor in aqua fluente: aqua hæc materialiter ſumpta ſinè dubio ſemper eſt alia & alia, quæcunque tamen aqua priori ſucceſſerit, habebit eundem ordinem & ſitum reſpectu totius fluvij, quem habuit aqua prior, & quoad hunc ordinem aqua ſemper erit eadem. Sic etiam quando turris ſtat ſlante vento, non manet quidem idem aër materialiter ſumptus; quicunq; tamen aër alteri ſuccedit, habet eundem ordinem, diſtantiam, & ſitum v. g. reſpectu montis, fluvij templi, ſylvæ, quem habuit aër antecedens, & templum, ſylva, mons, fluvius, aut quidquid his ablatis ſucceſſerit, habet eundem reſpectum ad Provincias Bohemiæ u.g. adjacẽtes, & ſic ulteriùs uſquè dum perveniatur ad totum corpus ſphæricum cœli, quod habet fixionem & immobilitatem propter immobilitatem centri & polorum eandem inter ſe diſtantiam ſervantium: nam ratio loci in omnibus locantibus proprijs, debet deſumi à primo & communi locante, quod eſt cælum. Et ex hac de ſpatijs imaginarijs ſententia patet, quid reſpondendum ſit, ſi

quis

quis quærat rationem, ob quam DEUS hîc & non alibi creaverit mundum? aut ubi eſſet alter mundus, ſi à DEO crearetur? Negatur enim ſuppoſitum, quòd ante creationem mundi fuerit aliquod hîc aut ibi, vel quòd mundus ſit in aliquo ubi: ultimum enim corpus continens eſt *ubi commune*, penes cujus reſpectum aliquod corpus particulare eſt hîc aut ibi; ipſum autem ultimum continens non eſt in alio ulteriore ubi, ſive in alio corpore continente.

(a) in pſalm 122. (b) 4. Phyſic: text 41. & S. Thomas ibidem lect 6.

CAPUT XXIX.

De Ubicatione.

UBicatio eſt denominatio intrinſeca locato proveniens à loco reali extrinſeco, quo mutato mutatur intrinſecè locatum. Diſtinguimus enim inter entia abſoluta, & inter entia connotativa vel reſpectiva. Abſoluta ſunt, quæ in ſe ipſis quaſi finiuntur, & non dicunt ali-

aliquid foris: Connotativa ſunt, quæ, ut ſæpius inquit Philoſophus (*a*) *id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur*; ſeu *quorum totum eſt ſe eſt ad aliud ſe habere*, adeóque ſunt talia, quæ non ſunt in ſe quaſi clauſa & abſoluta, ſed requirunt aliquid foris. Et hinc inferimus, quòd entia, in quantum abſoluta ſunt, alio modo conſtituantur, quàm conſtituantur in quantum ſunt reſpectiva; nam in quantum ſunt abſoluta, tunc hoc quod requiritur ad illorum eſſe, debet eſſe in illis ipſis exiſtens; in quantum autem ſunt connotativa, tunc hoc, per quod complentur in ſuo eſſe, debet eſſe aliquid extra illorum entitatem, quod dicitur illis tribuere denominationem intrinſecam, quia illa complet in eſſe, tanquam aliquid ad illa neceſſariò requiſitum. Quia ergo omnis ſubſtantiæ materialis eſt corpus naturale, & corpus naturale eſt fundamentum quantitatis & trinæ dimenſionis; quantitatis autem effectus naturalis eſt exſtenſio partium quoad locum; ideo locus eſt aliquid requiſitum ad eſſe naturale ſubſtantiæ materialis, & dat illi denominationem intrinſecam locati. conſequenter ſi locus ſit hic, hoc eſt, ſi ſuperficies ambiens habeat talem diſtan-

ſtantiam in omnem partem, denominat intrinſecè ſubſtantiam materialem locatam vel ubicatam hîc; ſi autem ſuperficies ambiens habeat aliam diſtantiam reſpectu partium univerſi, tribuit entitati ſubſtantiæ materialis denominationem ubicatæ alibi. Et ſic variato loco extrinſeco ſemper variatur ubicatio ſive denominatio à loco proveniens, ità tamen ut ſubſtantia materialis quoad ſua prædicata abſoluta maneat eadem & invariata; quod aliqui exprimunt dicendo: illam eſſe eandem in eſſe entitatis ſeu abſoluto, non autem in eſſe denominationis ſeu reſpectivo. Sicut autem ad hoc, ut ex materia & forma ſubſtantiali, quæ tribuit denominationem intrinſecam abſolutam, fiat unum, non eſt opus ulla formali determinatione & entitate modali ab ipſis realiter diſtincta; ſed ſufficit, quòd ſit agens & hæ circumſtantiæ, quæ materiam cauſaliter determinant ad hanc formam; ità etiam ad hoc, ut ex Petro & loco, qui ſe habet tanquam forma tribuens denominationem intrinſecem reſpectivam, fiat unum concretum entis locati, non eſt opus ulla formali determinatione, & ubicatione modali realiter diſtinctâ; ſed locus formaliter

liter determinat Petrum in ratione locati, & ſufficit, quòd ſit agens & reliquæ circumſtantiæ applicantes & determinantes cauſaliter Petrum ad locum. poſitâ enim illâ determinatione cauſali completâ & ſufficiente, ſequitur determinatio formalis per ipſam formam ſeu locum; adeóque poſitâ ſufficiente determinatione agentis & circumſtantiarum applicantium, non poteſt eſſe Petrus, & eſſe hic locus, & Petrus non eſſe in hoc loco: perinde enim eſt reſpectu Petri in illo caſu, ac ſi non eſſet in rerum natura nisì hic locus. certum autem eſt apud omnes, quòd ſi in rerum natura non eſſet nisì hic locus præciſè, non eſſet ulla indifferentia, adeóque nec eſſet opus ſupperadditâ determinatione; ſed Petrus eo ipſo quòd naturaliter exiſteret, eſſet in hoc loco. unde ſimiliter dicendum, quòd in illo caſu, quo determinatio cauſalis Petri ad hunc locum eſt completa & ſufficiens, non ſit opus determinatione formali ſuperadditâ, ſed Petrus per ſe ipſum ſit in hoc loco. Neque res habet aliquam majorem difficultatem in cauſis liberis, etiamſi cauſa libera habitis omnibus requiſitis ad ſe ponendam in hoc loco poſſit ſe in illo ponere

vel

vel non ponere: dicimus enim, quòd ſicut in aliorum ſententia cauſa libera habitis omnibus requiſitis ſe determinat ad habendam hanc ubicationem diſtinctam, ſic, in ſententia noſtra, cauſa libera ſe determinat ad habendum hunc locum.

(*a*) *in Categorijs cap: De ijs quæ cum aliquo conferuntur.*

Caput XXX.

De Tempore, Æternitate, Ævo, Duratione.

Cùm prius & poſterius eſt, tunc dicimus *Tempus*: hoc enim eſt tempus: *numerus motûs ſecundùm prius & poſterius. Non ergo motus tempus eſt, ſed ſecundùm quod numerum habet motus*, inquit Philoſophus (*a*). In toto continuo tempore eſt idem *Nunc*, ſicut in toto continuo motu eſt idem mobile. Volumus dicere; Sicut ſe habet mobile ad motum, ſic ſe habet *Nunc* ad tempus. In motu

tu id, quod movetur, ſemper eſt idem ſubjecto, etiamſi ſit aliud & aliud ratione: quia ſcilicet idem mobile aliter & aliter ſe habet per hoc, quòd ſit alibi & alibi. ſic etiam *Nunc* ſemper eſt idem ſubjecto, eſt tamen aliud & aliud ratione, quia menſuratur alio numero motûs ſecundùm prius & poſterius. Eſt autem *Nunc* realiter idem cum mobili, ſeu cum illo corpore, quod movetur, etiamſi habeat aliam definitionem prout eſt mobile, & aliam prout eſt *Nunc*; ſicut etiam tempus realiter eſt idem cum motu, quamvìs ſint diverſa ratione & definitione. Hinc ulteriùs dicendum, quòd primum mobile ſive cælum ſit primum tempus, quo menſurantur omnes motus tanquam per menſuram ſucceſſivam continuam: & quia numerus eſt menſura, dicitur quòd tempus ſit numerus, non quidem diſcretus, ſed numerus motûs: cùm ergo motus ſequatur magnitudinem, ſicut magnitudo eſt continua, ità & motus eſt continuus, & conſequenter tempus eſt numerus continuus, adeóque tempus non poteſt convenire ijs ſubſtantijs, quæ tranſcendunt continuum & quantitatem, quales ſunt ſubſtantiæ ſpirituales.

Inte

Inter tempus & æternitatem hoc eſt diſcrimen: (*b*) *Ipſum Nunc in quantum reſpondet mobili ſe habenti aliter & aliter, diſcernit prius & poſterius in motu, & ſuo fluxu tempus facit. ſublatâ igitur aliâ & aliâ diſpoſitione à mobili, remanet ſubſtantia ſemper eodem modo ſe habens: unde intelligitur Nunc ùt ſemper ſtans, & nõ ùt fluens, nec habens prius & poſterius. Sicut igitur Nunc temporis intelligitur ùt numerus mobilis, ità Nunc æternitatis intelligitur ùt numerus, vel potiùs, ùt unitas rei ſemper eodem modo ſe habentis.* Ex quo patet, DEUM, cùm ſit omnimodè immutabilis, eſſe maximè æternum (*c*): imò eſt ſua ipſius æternitas, & unum *Nunc* ſemper ſtans. Nec poteſt æternitas DEI ſalvari per aliquem fluxum & ſucceſſionem infinitam: nam ſucceſſio talis dicit potentialitatem, quia ſic eſt, ut nunquam poſſit eſſe vel effluere tota actu, ſed quantumcunque de ea ſit, ſemper reſtat plus de illa, quod non eſt; ut adeò non poſſit dici eſſe, ſed potiùs debeat dici non eſſe, prout defacto dicimus æternitatem à parte pòſt non eſſe, quamvis defacto ſuccedant ſibi res & ſucceſſuræ ſint in infinitum. Cùm ergo in Deo non poſſit admitti aliqua potentialitas & non eſſe, non

poteſt illius æternitas, quæ utique illi eſſentialis eſt, explicari per aliquam ſucceſſionem infinitam. Et hinc dixit Boëtius (*d*): *Æternitas eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio.*

Inter æternitatem & tempus, medium eſt *Ævum*, (*e*) quod convenit illis, quorum eſſe licèt non conſiſtat in tranſmutatione, nec ſit ſubjectum tranſmutationis phyſicæ, habet tamen aliquam tranſmutationem adjunctam: ſic Angeli ſunt æviterni, quia quoad ſuam naturam non habent tranſmutabilitatem, tranſmutantur tamen quoad ſuas cognitiones, affectiones, & ſuo modo quoad locum. æternum autem illud eſt, quod nec eſt mutabile, nec adjunctum mutabilitati. & in tempore eſt illud, cujus eſſe vel conſiſtit in tranſmutatione, ùt motus; vel eſt ſubjectum tranſmutationis, ùt omnia corruptibilia. Quælibet pars temporis eſt in tempore, ſicut binarius eſt in quaternario: reliqua autem, quæ ſunt in tempore, nec tamen ſunt aliquid temporis, ſunt in tempore ſicut numerata in numero, vel menſurata in menſura: nec eſt aliud eſſe in tempore, quàm menſurari tempore; unde quia indiviſibilia non poſſunt menſurari aliquo diviſi-

diviſibili, non poteſt DEUS aut Angeli, ratione ſui eſſe, menſurari tempore. Præterea omne quod eſt in tempore, continetur à tempore, & patitur ſub illo, ſecundùm quod paſſio pertinet ad defectum: conſuevimus enim dicere, quòd longitudo temporis putrefacit & corrumpit, quòd propter tempus omnia ſeneſcunt, & quòd propter tempus oblivio accidit (*f*). Cujus ratio eſt, quia de ratione motûs eſt, ut id, quod eſt, faciat diſtare à diſpoſitione, in qua priùs erat. ergo cùm tempus ſit numerus motûs, per diuturnitatem temporis omnia, quæ ſunt in tempore, removentur à ſua diſpoſitione, quam priùs habuerant.

Duratio eſt denominatio intrinſeca rei duranti proveniens à tempore reali extrinſeco (ſi duratio ſit temporanea) proportionaliter eo modo, quo explicuimus ubicationem. Et ſicut dicor eſſe *hìc* per reſpectū ad ordinem & ſitum partium univerſi, ac tandem ad primum locans, quod eſt cœlum; ità dicor eſſe *jam* per reſpectum ad alios motus univerſi, ac tandem ad primum motum, qui eſt motus primi mobilis. Verbi gratia, eſſe me *jam*, eſt eſſe me dum imperat Leopoldus Cæſar, dum

Clemens X. tenet cathedram S. Petri, dum Galliarum Rex gerit bellum in Imperio, dum ſit concurſus peregrinorum Romam ad lucrandas indulgentias, dum ſol eſt in hac parte cœli, dum eſt talis ſiderum aſpectus, dum hæc aqua fluxu ſuo pervenit ad hanc partem alvei &c. Hæc verò omnia ſimul eſſe, eſt tantundem motûs numerabilis per prius & poſterius inter me & initium mundi interjacere, quantum illius ejusdem temporarii intervalli ſeu motûs numerabilis intercedit inter initium mundi & Leopoldum Cæſarem, Clementem X., bellum Gallicum in Imperio &c; & ſic ego coëxiſto Cæſari Leopoldo ideo, quia ad illius & meam exiſtentiam v. g. à nativitate Chriſti interceſſit tantus motus cœlorum, qui numeratur per annos 1675. vel quia uſque ad nos factus eſt tantus motus à prima productione mundi, qui juxta computum Saliani numeratur per annos 5727. Hæc de duratione temporaria; nam de duratione æterna & æviterna agere non eſt hujus loci.

(*a*) 4. *Phyſic: tex: 101*, (*b*) *S. Thomas 4. phyſic: lect: 18.* (*c*) *S. Thomas 1. p: q: 10.* (*d*) 5. *de conſolat: proſa 6.* (*e*) *S. Thomas 1. p. q. 10. & tractatu 1. de tempore cap. 4. & trac-*

& tractatu 2. toto. (*f*) *Ariſtot: 4. Phyſic: tex: 117. & S. Thomas ibidem lect: 20.*

Caput XXXI.

De Continuo.

OMnis motus & omne tempus continuum eſt. *Impoſſibile autem eſt ex indiviſibilibus continuum quidquam conſtare* (*a*). Continua enim ſunt, quorum extrema ſunt unum. atqui indiviſibilia non habent extrema, cùm non habeant partem & partem. ergo indiviſibilia non poſſunt eſſe continua. Præterea ſi continuum conſtaret meris indiviſibilibus, non eſſet unus motus velocior altero, imò auferretur omnis motus, ut volebat ipſe Zeno (non ille Stoicorum pater, qui teſte Pererio(*b*)poſt mortem Ariſtotelis floruit, adeóque ab hoc rejici non potuit; ſed Zeno Eleates Dialecticæ inventor, cujus ſententias Ariſtoteles nunquam approbat, dicítque hoc 6. libro Phyſicorum tex: 75. illum malè ratiocinari & paralogizare:) qui continuum ex indiviſibilibus conflavit. Unde illi Recentiores, qui continuũ

ex indiviſibilibus componunt, & tamen motum admittunt, docent aliquid, quod ipſe Magiſter illorum Zeno judicavit non poſſe ſubſiſtere. Nos ergo cum Ariſtotele dicimus in quovis continuo eſſe partes in infinitum diviſibiles; Et quia nemo in Ariſtotele verſatus ignorat, quòd apud illum idem ſit *diviſum eſſe* & *diſtinctum eſſe* (id quod pluribus textibus confirmare parati ſumus); cúmque, ùt fatentur ipſimet Adverſarij, tum ipſe, tum D. Thomas admittant in continuo partes diviſas ſolùm potentiâ, dicendum eſt cum illis, in continuo non eſſe partes actu diſtinctas, ſed ſolùm in potentia. Et ſanè ſi in continuo ſunt meræ partes actu diſtinctæ, ſequitur dari mera indiviſibilia; nam ubi omnia ſunt actu diſtincta, ibì nihil eſt ampliùs diſtinguibile. atqui per Adverſarios in continuo ſunt omnes partes actu diſtinctæ. ergo nulla pars continui eſt ampliùs diſtinguibilis. Subſumitur. Atqui quod non eſt ampliùs diſtinguibile hoc eſt indiviſibile. ergo ſi in continuo ſunt meræ partes actu diſtinctæ, ſunt in illo mera indiviſibilia. Deinde in hac ſententia implicaret omnis magnitudo quantitativa: nam cùm omnis numerus incipiat ab unitate

tate; implicat ibì eſſe plures actu magnitudines, ubi implicat una actu magnitudo. atqui in hac ſententia implicaret una actu magnitudo (niſì admittatur, quòd indiviſibile faciat magnitudinem) ergo in hac ſententia implicaret omnis magnitudo. Minor ſic oſtenditur. Quæcunque magnitudo fuerit data, illa habebit plures partes actu diſtinctas (quia omne continuum, quale eſt quæcunque magnitudo, per Adverſarios conſtat partibus actu diſtinctis) atqui quælibet pars erit magnitudo (quælibet enim pars eſt in infinitum diviſibilis, adeóque eſt continuum, & magnitudo conſtans partibus in infinitum diviſibilibus) ergo quæcunque magnitudo fuerit data, habebit plures actu magnitudines: & quia implicat aliqua magnitudo, quæ non conſtet pluribus partibus, implicabit aliqua magnitudo, quæ ſit una actu magnitudo. Dicimus ergo quòd continuum ſit actu unum per quantitatem, quæ eſt radix diviſibilitatis: unde continuum non eſt quidem unum indiviſibiliter, ſicut eſt DEUS, Angelus &c. eo ipſo enim, quòd continuum ſit unum per quantitatem & radicem diviſionis, non poteſt eſſe unum indiviſibiliter: ſed

eſt unum actu diviſibiliter, hoc eſt ità, ut ſit multa in potentia. Non quidem iterum hoc ſenſu, quòd ſubſtantia & entitas partium non ſit actu in continuo; ſed quòd ſubſtantia continui non ſit actu diſtincta & diviſa in plura quanta, poſſit tamen diſtingui & dividi in plura quanta, quæ inter ſe numero diſtinguentur. Cujus ratio eſt: quia ùt patebit infrà (*c*), diſtinctio numerica in materialibus provenit à materia prout eſt ſignata quantitate dividente. ablatâ ergo diviſione quantitatis auferetur diſtinctio numerica: ablatâ autem diſtinctione eſt unitas. ergo cùm in continuo quantitas non habeat diviſionem, manet continuum unum tamdiu, quamdiu non accedit diviſio. quæ diviſio ſi quidem fuerit realis, ſeparans ab invicem partes realiter, erunt per illam plura realiter; ſin autem fuerit per deſignationem ſenſuum, erunt plura intentionaliter & objectivè. Nec obſtat, quòd de continuo ante omnem diviſionem & deſignationem verificentur contradictoria, ùt, quòd terra ſecundùm quid illuminatur à ſole, & ſecundùm quid non illuminetur; manus hominis ſit calida, pes non ſit calidus; eadem aqua in mari ſit ſalſa, in fluminibus

mari

mari continuatis ſit dulcis &c. nam hujusmodi contradictoria non dicuntur de continuo prout continuum eſt, ſed ſub alijs rationibus. Quando enim negamus in continuo partes actu, non intendimus dicere, quòd nulla omnino ratio diſtinctionis, nec ulla actualis pluralitas ſit in continuo; ſed ſenſus eſt, quòd continuum in ratione continui non habeat partes actu diſtinctas, hæc enim diſtinctio ſit per diviſionem quantitatis, & non per diviſionem aliorum accidentium. Quia ergo continuum in ratione continui non conſtituitur per calorem, lucem, dulcedinem, actionem, & his ſimilia, ſed per quantitatem; ſi quantitas non habeat diviſionem aut plures terminos, eſt unica ratio continui, & in hac non conveniunt illi contradictoria: in alijs autem rationibus, quæ ſunt per accidens ad continuum, cõveniunt eidem continuo contradictoria: poſsũt enim alicui rei, quæ eſt inadæquatè tantùm eadem, & ei, quæ eſt eadem ſubjecto, diverſa tamen ratione, convenire contradictoria. Fatemur tamen adhuc, quòd continuum, etiam in quantum eſt continuum, ſit valde propinquum multitudini, adeóque valde recedens à perfe-

ctâ unitate. cujus ratio eſt : quia continuum eſt unum per quantitatem, quæ exigit extenſionem quoad locum, & ſitum coordinationémque partium, tanquam effectum ſuum ſecundarium : & quia nihil poteſt ſibi ipſi coordinari, ideo coordinatio requirit multitudinem. Nihilominus quia continuum propter rationes magìs principales eſt actu unum (habet enim unam materiam, unam formam, unam eſſentiam, unam quantitatem, penes cujus terminationem deſumitur unitas vel diſtinctio numerica) & quia ipſe ſitus (qui non eſt coordinatio partium in pluribus locis, ſicut eſt coordinatio exercitûs, ſed coordinatio unius continui in uno loco) denotat rationem unitatis; ideo continuum potiùs dicitur unum numero actu, & multa in potentia, quàm è contra.

(*a*) *Ariſtot*: 6. *Phyſic*: *tex*: 1. (*b*). *De communibus rerum naturalium principijs lib*: 4. *cap*: 4. (*c*) *cap*: 37.

CAPUT XXXII.

An & quo ſenſu creatura potuerit eſſe ab æterno?

Quia

QUia veritas non poteſt contradicere veritati, non poteſt ratione phyſicâ demonſtrari, quòd mundus fuerit ab æterno: nam cùm demonſtratio debeat conſtare præmiſſis veris, ex quibus deducatur vera concluſio, deberet veritas demonſtrata de æternitate mundi, contradicere infallibili veritati fidei, quòd mundus cæperit cum tempore. Neque dicas, ſi incepit tempus, ergo aliquando non fuit: ſed aliquando dicit tempus. ergo ſi incepit tempus, fuit tempus cùm non fuit tempus. hoc autem eſt impoſſibile: ergo debuit tempus non incepiſſe. Reſpondemus enim, quòd tempus aliquando non fuerit, prout ly *aliquando* ſumitur negativè, & negat perpetuitatem motûs, ità ut ſenſus hujus propoſitionis: *tempus aliquando non fuit*; ſit iſte: *non ſemper uit tempus*; non autem prout ly *aliquando* ſumitur poſitivè, & ſignificat tempus. ſic enim ſolemus dicere: *fuit aliquando hora ſexta*; quia non ſemper hora ſexta fuit. hoc modo etiam dicimus: *Extra cœlum nihil eſt*; non poſitivè, quòd in loco aliquo præter cœlum nullum ſit corpus; ſed negativè, quòd cœlum non habeat locum, vel quòd locus non ſit infinitus.

Quærunt tamen aliqui: an ſaltèm potuerit creatura aliqua eſſe æterna? Quæ quæſtio nō poteſt procedere primò de æternitate propriè dicta: hæc enim requireret in creatura *Nunc* ſemper ſtans; hoc eſt, creatura deberet eſſe omnino immobilis & immutabilis, quod eſt ſolius DEI dicentis(*a*): *Ego Dominus & non mutor*. Secundò non poteſt formari quæſtio hoc ſenſu: an creatura potuerit eſſe tam citò, quàm DEUS? DEUS enim ſimpliciter eſt, neque reſpectu illius eſt præteritum aut futurum, citò aut tardè, cui in uno invariabili *Nunc* omnia ſunt præſentia, quemadmodum tota circumferentia circuli correſpondet centro. Videtur ergo hæc quæſtio habere talem ſenſum: an potuerit aliqua creatura ſic produci, ut nihil haberet ante ſe? Ad quod reſpondendum eſt multipliciter: primò enim non potuit creatura ſic eſſe ab æterno, ut non haberet ante ſe quidquam prius naturâ; nam talis creatura non haberet cauſam ſui, adeóque non eſſet creatura. Secundò defacto ſunt aliquæ creaturæ ſic productæ, ut ante illas non fuerit nec potuerit eſſe alia prior tempore: nam aliquæ creaturæ v. g. Angeli per ſe non habent

ullam connexionem cum tempore, nec poſſunt cum illo comparari, & ſic non potuit aliquid eſſe prius, aut ſimul, aut poſterius tempore reſpectu illorum. Tertiò ante quodcunque ens temporarium potuit poni aliud & aliud. Et hoc ſenſu potuit mundus quoad entia ſucceſſiva eſſe ab æterno; quo modo etiam defacto in æternum erit, ex eo, quòd poſt quamvis durationem ponetur alia. Entia permanentia, hoc eſt, quæ non habent ullam durationem ſucceſſivam (ſi detur aliquod tale ens inter creata eſſe poſſibile) hoc ſolo ſenſu potuerunt eſſe ab æterno, quòd ante quodcunque illorum potuerit eſſe aliud naturâ prius. Si DEUS potuiſſet hinc verſùs anteriora tam multum de motu producere, ut ante illud non poſſet producere quidquam motûs, potuiſſet ponere infinitum, quod eſſet jam in actu perfecto & categorematicum; hoc autem implicat contradictionem, aut ſi non eſſet infinitum in actu perfecto, non eſſet æternitas; ſicut ſi DEUS tam multum de motu hinc verſùs poſteriora produceret, ut poſt illud non poſſet producere quidquam motûs, deſtrueretur ratio æternitatis, aut haberetur æternitas in actu perfecto, quod eſt impoſſibile (*a*) *Malach: cap: 3. v. 6.* CA-

Caput XXXIII.

Quid ſit Generatio Simplex?

Generatio alia eſt ſimplex, alia ſecundùm quid. Generatio ſimplex eſt, quæ terminatur ad ens ſimpliciter, & eſt *Mutatio de non ente in ens* (*a*): vel eſt *tranſmutatio ex potentiâ ſubſtantia in actu ſubſtantiam* (*b*). Sed dicet aliquis; ſi ex nihilo nihil fit, quomodo ergo generatio eſt mutatio de non ente in ens? Reſpondet Philoſophus (*c*): *Dicendum eſt, quòd aliquo quidem modo ex non ente ſimpliciter generatur, modo autem alio ex ente ſemper: ipſum enim potentiâ ens, actu autem non ens, neceſſe eſt praexiſtere.* hoc eſt; Quod generatur, hoc aliquomodo generatur ex non ente, & aliquomodo ex ente: oportet enim ut potentia ens præexiſtat generationi, non autem ens actu. Nam quod generatur, fit ex materia prima, quæ eſt potentiâ ens, & præexiſtit productioni formæ novæ & novi entis, non per propriam exiſtentiam, ſed per exiſten-

exiſtentiam formæ antiquæ & antiqui compoſiti. Et ſic generatio ſimpliciter eſt ex nōn ente ſimpliciter, hoc eſt, ex eo quod ſecundùm ſe non eſt actu ens ſimpliciter & ſubſtantia, quamvìs ſit ens ſimpliciter in potentia; non autem eſt ex non ente ſimpliciter, hoc eſt, ex eo, quod eſt non ens ſimpliciter, ſive quod nullo modo eſt ens. Quòd ſi detur materiæ primæ proprius actus entitativus ante formam, non poteſt efficaciter probari contra antiquos Philoſophos, quòd detur generatio ſimplex. ſed debent admitti meræ generationes ſecundùm quid, ùt ipſi ponebant, impugnati propterea ab Ariſtotele libro 1. de generatione & corruptione. Ratio noſtri aſſerti eſt, quia Antiqui admittebant cum Ariſtotele quòd ſubſtantia ſit *ens primò & per ſe*, & conſequenter generationem ſimplicem dicebant eſſe illam, per quam ſit ens primò & per ſe, Jam verò ſi materia prima habeat eſſe proprium, eſt ens primò & per ſe, hoc eſt antequam habeat formam & non per formam; & forma ſicut ex natura ſua præſupponit materiam, ità ex natura ſua præſupponet ens primò & per ſe, adeóque ex conjunctione formæ cum materia non reſultabit ali-

aliquod ens & eſſe primum; ſed illa conjunctio nihil eſt aliud, quàm generatio. ergo ſi materia ſit ens per ſe & ante formam, tunc per generationem non ſit ens primò, per ſe, & ſimpliciter, ſed aliquod ens ſecundum, ſive, quod idem eſt, ens ſecundùm quid. atque ità non dabitur ulla generatio ſubſtantialis, ſed meræ alterationes; nec dabitur ulla forma ſubſtantialis, quia per nullam formam erit ens primò, ſed tantùm ens ſecundò, quod ſit per formam accidentalem.

Generatio vera non eſt quidem motus proprius (nam motus propriè dictus cùm ſit actus entis, requirit ſubjectum actuale, & eſt inter terminos poſitivos contrarios aut medios, ùt patet ex Philoſopho 5. phyſic: generatio ſimplex autem non ſit ex ſubjecto actuali, neque eſt inter terminos poſitivos & contrarios, quia eſt à non eſſe ad eſſe) ſemper tamen ſit cum motu, & propriè ſignificat motum prout terminatum ad ſubſtantiam. Hinc introductio novarum diſpoſitionum, quæ ipſam productionem formæ tempore antecedit, habet duplex nomen: in quantum enim terminatur ad qualitatem phyſicam, eſt *alteratio* & motus propriè dictus; in quantum

quantum verò terminatur ad ipſam ſubſtantiam, eſt *fieri* ſive *generatio ſubſtantiæ*, & vocatur etiam *motus ſubſtantialis*; & illa cauſa, quæ diſpoſitiones in materiam introducit, dicitur *Generans*. Et hinc Beatiſſima Virgo fuit vera Mater DEI, non minùs, quàm mater Petri ſit vera mater illius hominis: nam mater Petri etiamſi non producat materiam primam, nec animam rationalem, nec exiſtentiam & ſubſiſtentiam Petri, eſt tamen vera mater illius perſonæ humanæ in humana natura ſubſiſtentis, propterea, quòd materiam primam per introductionem diſpoſitionum faciat capacem, & hoc modo communicat corpori animam cum illo eſſe, quod anima habet proprium & naturale. Ergo ſimiliter quamvis Beatiſſima Virgo non produxerit animam rationalem, ſubſiſtentiam & exiſtentiam Chriſti; tamen quia materiam ſubminiſtravit, & ſic communicavit corpori animam rationalem cum illo eſſe & ſubſiſtentia, quæ fuit communicata animæ à Verbo, ideo fuit vera mater hominis & Perſonæ Divinæ ùt ſubſiſtentis in illa humanitate.

(*a*) *Ariſt: 8. Phyſic: tex: 62.* (*b*) *Idem 1. de Gen: tex: 25.* (*c*) *Idem 1. de Gen: tex: 11.*

CA-

CAPUT XXXIV.

An in productione novi compoſiti ſubſtantialis ſit reſolutio uſque ad materiam primam?

Dicit Ariſtoteles lib: 1. de Gener: tex: 23. quòd in Generatione ſimplici non maneat idem ſubjectum ſenſibile. Quem textum Arriaga ſic intelligit (*a*): quòd nulla accidentia remaneant in compoſito v. g. in cadavere, quæ erant in corrupto homine aut equo. Et alibi (*b*) defendit, quòd Ariſtoteles ſenſerit accidentia corrupti non manere in genito. Quam eandem ſententiam tanquam Ariſtotelicam dicunt Conimbricenſes (*c*) ſe tueri cum D. Thoma (*d*), & alijs (*e*) quos citant. Doctor Angelicus hoc dubium ſic proponit (*f*): *Dubitatur*, inquit, *utrum eadem paſſio numero poſſit eſſe in generato & in corrupto*? & adductâ ratione dubitandi in utramque partem, ſic reſolvit dubium: *Dicendum ergo*, *quòd*

quòd non manet idem numero, ſed id, quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione ſubjecti, pereunte formâ, quæ prius erat, talis accidentis; & advenit ſimile accidens conſequens formam de novo advenientem. Unde dicimus, quòd in quavis generatione ſubſtantiali fiat reſolutio uſque ad materiam primam, hoc eſt, quòd ex veteri compoſito nihil omnino maneat in novo compoſito præter materiam, & quòd pereant etiam illæ diſpoſitiones, quæ introductæ fuerunt pro forma nova. Quæ concluſio habet hoc fundamentum: Accidens ex ſua eſſentia eſt entis ens, ſive eſt ens ſecundum, præſupponens ens primum, per quod habet eſſe. *(g)*. Et per hoc diſtinguitur accidens à forma ſubſtantiali, quòd hæc ſit actus primus, per quem habetur primum & ſimpliciter eſſe, adeóque quòd forma ſubſtantialis præſupponat ſolam potentialitatem ſubjecti, & debeat informare puram potentiam; accidens autem eſt actus ſecundus, per quem habetur eſſe tale, adeóque præſupponit eſſe ſimpliciter, & ſubjectum actuale: non enim poteſt aliquid eſſe tale, niſi ſimpliciter ſit. & propter hoc etiam dicitur, quòd forma ſubſtantialis habeat *ſubjectum ſuſtentationis*,

onis, accidentalis verò *ſubjectum inhæſionis*. Cùm ergo ſubjectum actuale non ſit ſola materia prima, utpote quæ eſt pura potentia, nō poteſt forma accidentalis in illa ſola recipi, ſed debet recipi in toto cōpoſito, quod eſt ens actu. Conſequenter deſtructo compoſito, quod fit in inſtanti terminativo generationis, pereunt accidētia defectu ſubjecti; ſi enim eadem numero manerent, reciperentur in novo compoſito, & ſic tranſirent de ſubjecto in ſubjectum, quod non pôteſt eſſe. Quando ergo dicitur, quòd in cadavere hominis ſint eadem accidentia, quæ fuerunt in homine vivo, debet intelligi, quòd ſint eadem ſpecie, ſicut ſolemus dicere eſſe eundem fluvium, vel eundem ignem, quamvis non ſit idem niſi ſpecie. Neque ſuffragari in contrarium poteſt experientia; quia ſenſus noſtri inter duo perfectè ſibi ſimilia & ſucceſſivè propoſita non diſcernunt.

Aliqua tamen difficultas circa hanc aſſertionem oritur & ratione cauſæ efficientis, & ratione cauſæ materialis talium accidentium. Primò enim videtur deeſſe cauſa efficiens novorum accidentium: & ſi dicatur, quòd illa accidentia producantur

tur ab eodem agente, quod introducit formam novam, eò quòd, qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe; Contrà eſt: quia non eſt ratio, cur accidentia ſimilia prioribus debeant conſequi ad novum eſſe compoſiti, cùm aliquando ſint oppoſita formæ novæ, aut ſaltèm forma nova illa non petat: quare enim v. g. forma cadaverica peteret ſimiles cicatrices aut maculas in corpore exanimi, ſicut fuerunt in vivente? Nihilominus dicendum eſt, quòd agens productivum novi compoſiti etiam introducat accidentia ſimilia præcedentibus: debent autem ad eſſe formæ novæ conſequi ſimilia accidentia propter duplicem cauſam. Prima eſt: quia ſicut in motu locali non poteſt mobile ab uno loco immediatè tranſire ad alterum remotum, ſed debet priùs tranſire ad loca propinquiora; ità in formis non poteſt ſtatim perveniri ab una forma ad alteram valde diſſimilem, ſed debet priùs perveniri ad formas propinquiores & ſimiliores; Unde etiamſi forma nova ex primaria ſua intentione non petat hujusmodi accidentia, petit tamen illa ſecundariò & quaſi per accidens, quatenus hæc accidentia ſunt quaſi in via ad formas primariò intentas, ad quas non po-

poteſt forma nova & agens pervenire, niſi gradatim & tranſeundo per formas intermedias; ſicut corpus grave etiamſi per ſe feratur ad centrum, debet tamen priùs tranſire per loca intermedia, quæ niſi tranſiret, neque ad ipſum centrum perveniret. Secunda cauſa eſt; quia in inſtanti non datur motus: unde in inſtanti terminativo generationis non poteſt materia moveri localiter ſive tota, ſive ſecundùm partem, ſed eſt determinata ad eundem locum, quem habuit immediatè antè; & conſequenter eſt determinata ad habendam ſimilem quantitatem, figuram, raritatem, denſitatem, & quæ cum his cohærent, ùt ſunt mollities & durities, temperamentum primarum qualitatum, & ex his reſultantes qualitates ſecundæ v.g. color, ſapor &c. propter quam cauſam etiam manent in cadavere cicatrices & maculæ Hæc autem accidentia introducuntur in inſtanti, quia ſubjectum eſt omnimodè determinatum ad illa habenda in eadem perfectione & gradu, in quo antè fuerunt.

Ratione cauſæ materialis eſt hæc difficultas; quia ſi accidentia reciperentur in toto compoſito, tunc ſubjectum quantitatis

tis in homine deberet eſſe etiam anima rationalis, & ſic anima rationalis eſſet quanta, quod non poteſt eſſe. videtur ergo debere dici, quòd ſola materia prima ſit ſubjectum quantitatis, & aliorum accidentium, quæ recipiuntur mediá quantitate: maximè cùm materia prima ſit ſufficiens, ut ſuſtentet accidentia, quippe quæ ſufficit ad ſuſtentandam formam ſubſtantialem. Ad primam partem hujus difficultatis poſſemus dicere, quòd ſi non eſt abſurdum apud Adverſarios, quòd actus materiales ſenſuũ &c. recipiantur in materia ſimul & anima rationali; quare deberet videri abſurdum, quòd quantitas recipiatur in materia & anima rationali, non ſeorſim, ſed prout ſunt ſimul? non enim propterea ſtatim anima rationalis erit quanta: quia quantitas non tribuit effectum formalem primarium cuicunque parti ſubjecti, ſed tantùm ſubjecto totali & primario, hoc eſt toti homini; ſicut lignum habens longitudinem unjus ulnæ, eſt unjus ulnæ totum; quæ denominatio non convenit ſeorſim cuivis parti illud lignum conſtituenti. Sed adhuc aliter reſpondemus, quòd materia, quæ eſt prima in genere potentialitatis, ſit compoſito radix

dix omnis receptionis: forma autem, quæ eſt actus primus, eſt eidem principium omnis actualitatis: ex quibus duobus principijs *ut quo*, fit unum principium totale *ut quod*, ſcilicet totum compoſitum, quod omnia recipit ratione materiæ, & omnem actualitatem habet ratione formæ: hinc ſi hæ duæ rationes materiæ & formæ ſumantur quaſi ſeorſim, non debet dici, quòd forma recipiat quantitatem, ſed materia illam recipit, & illi ſoli attribuitur effectus formalis quantæ, quia ipſa eſt ratio propter quam quantitas recipitur in compoſito; forma autem non eſt talis ratio. Ad alteram partem difficultatis dicimus, quòd etiamſi materia prima ſit ſufficiens ut ſuſtentet formam ſubſtantialem, non eſt tamen ſufficiens ad ſuſtentanda accidentia. Ratio diſparitatis eſt: quia forma ſubſtantialis dat eſſe primum. ergo non poteſt præſupponere aliquod eſſe, ſed puram potentiam ad eſſe. At verò accidens præſupponit eſſe primum, & non habet eſſe niſi per ſubjectum actuale. atqui materia prima ſeorſim non eſt ſubjectum actuale. ergo per illam ſeu potiùs in illa ſola non poteſt accidens habere eſſe.

(a) di-

(a) *Diſput:* 1. *de Gener: ſect:* 1. (b) *Diſput:* 5. *Phyſica ſect:* 2. *ſubſect:* 1. (c) *lib.* 1. *de Generat: cap:* 4. *q:* 18 *a* 2. (d) 1. *p: q:* 76. *a.* 6. & *alibi.* (e) *Alenſi, Alberto Magno, Herſvæo, Cajetano, Javello &c.* (f) *libi* 1. *de Gener: lect:* 10. (g) *Hoc fundamentum deſumitur ex Ariſtot:* 7. *Metaphyſ: cap:* 1 & *ex D. Thoma opuſc:* 31.

CAPUT XXXV.

Amplius agitur de ſubjecto accidentium materialium, & de termino Generationis.

URgeri adhuc poſſet propoſita difficultas, hoc modo: Materia prima ſola diſponitur pro forma nova, ergo illa ſola recipit accidentia. Et verò niſi ſola materia prima reciperet accidentia, & hæc in inſtanti terminativo generationis perirent, tunc pro illo priori, quo eſt materia, præſcindendo à forma, non eſſet materia diſpoſita ad formam novam, & forma nova introduceretur in materiam non diſpoſitam: conſequenter natura tem-

pore antecedente fruſtra induxiſſet in materiam tot accidentia. Dicendum ad hæc: quòd diſponi ſit pati & mutari, hinc quia entia phyſica patiuntur ratione materiæ, dicitur materia prima diſponi. meliùs autem dicitur materia diſponi ideo, quia ipſa ſola eſt ſubjectum mutationis: nam ſubjectum mutationis dicitur illud, quod eſt ſubjectum terminorum, inter quos verſatur mutatio, atqui ſola materia prima eſt ſubjectum terminorum, inter quos verſatur mutatio generativa: illa enim eſt ſubjectum privationis & formæ novæ. ergo ſola materia prima eſt ſubjectum mutationis, quamvis ſubjectum inhæſionis non ſit ipſa ſola, ſed totum compoſitum. Quod attinet prioritatem naturæ, quam habent diſpoſitiones reſpectu formæ novæ; dicimus, quòd diſpoſitiones ſint quidem pro priori ad formam novam, & compleant actum primum, ſed non prout poſitivè exiſtentes illo inſtanti, ad quod terminatur generatio (nam illo inſtanti ſunt poſteriores formâ novâ, quia ſunt poſteriores compoſito tanquam ſuo ſubjecto) ſed prout fuerunt tempore immediatè antecedente illud inſtans: Sicut quando lapis cadit ad centrum, lapis ideo

eſt

eſt in centro, quia fuit motus ad illud, adeóque motus eſt cauſa exiſtentiæ lapidis in centro, & pro priori ad illam; nihilominus illo inſtanti, quo lapis primò eſt in centro, non eſt, nec poteſt eſſe motus, ſed tantùm immediatè antè fuit. Si ergo ſpectetur materia prima prout illo inſtanti habet ſe ad cauſandum compoſitum, dicimus illam non eſſe quantam, nec impenetrabilem, nec figuratam, nec calidam, nec frigidam &c. ſed tamen eſſe ſignatam diſpoſitionibus requiſitis ad formam novam. Hoc eſt dicere: cùm accidentia ſint ſigna rerum, ex quibus innoteſcunt res (unde Eccleſia in hymno Euchariſtico canit de accidentibus Euchariſticis: *Sub diverſis ſpeciebus, ſignis tantùm & non rebus*) ideo quando introducuntur nova accidentia, dicitur materia ſignari, ſeu determinari vel fieri ſignata & determinata ad formam novam; quæ determinatio & ſignatio finitur illo inſtanti, quo producitur forma nova: & hoc inſtanti eſt ſignatio in actu perfecto, ſive in facto eſſe, propter quod dicitur materia illo inſtanti eſſe ſignata & determinata; non quidem ſic, quòd illo inſtanti habeat illa accidentia, ſed quòd illo inſtanti per pri-

mum eſſe formæ novæ ſit finita ſignatio & determinatio materiæ, ſeu introductio diſpoſitionum, ità ut materia non determinetur & diſponatur ulteriùs, ſed ſit determinata ad hanc formam per determinationem & ſignationem, quæ ſiebat tempore antecedente. Nec tamen natura fruſtra introducit diſpoſitiones in materiã, ſi in inſtanti terminativo generationis pereunt: nam ſicut lapis non movetur fruſtra ad centrum, etiamſi motus lapidis non ſit tunc, quando eſt lapis in centro; ſic etiam accidentia non introducuntur fruſtra in materiam, quamvìs ipſa non ſint tunc, quando eſt forma nova: quia ſcilicet finis illarum non eſt, ut ſint cum forma nova, ſed ut forma nova ſit poſt illas, quemadmodum finis motûs lapidis non eſt, ut ſit tunc, cùm lapis eſt in centro, ſed ut poſt ipſum motum ſit lapis in centro. Atque ità natura in introductione diſpoſitionum aſſequitur ſuum finem; conſequenter non agit fruſtra. Sic etiam ſemen vel forma embrionis ordinatur ad formam viventis, flores ad fructus, elementa ad componenda mixta &c; quamvìs non maneant cum ijs vel in ijs, ad quæ ordinantur, & ſic per accidens ordinentur

tur ad ſui deſtructionem, ut in aliquo perfectiore remaneant æquivalenter. Hæc tota ſolutio poſſet alio modo loquendi ſic efferri, quòd ſcilicet diſpoſitiones ſint pro priori ad formam novam non per ſuam exiſtentiam, ſed per eſſentiam intrinſecam; nam diſpoſitiones tenent ſe ex parte cauſæ materialis. atqui cauſa materialis ad actum primum eſt prior per ſuam eſſentiam intrinſecam, & non per ſuam exiſtentiam. ergo ſimiliter diſpoſitiones erunt pro priori tantùm per eſſentiam intrinſecam.

Nihilominus fatemur, quòd diſpoſitiones etiam ùt exiſtentes illo inſtanti ſint aliquo modo pro priori ad formam novam. Ad cujus rei intelligentiam ſciendum eſt, quòd eadem forma, præſertim in viventibus, communicet diverſos effectus formales: nam eadem forma facit eſſe, & eſſe corporeum, & eſſe vivens, & eſſe animal, & eſſe hominem. certum eſt autem apud omnes, quòd forma non communicet ſubjecto effectum ſuum formalem; niſi ſubjectum ſit illius capax: & hinc ſi ſubjectum ſit aliqualiter tantùm capax illius effectus, juxta menſuram capacitatis forma ſe illi communicabit.

Quòd ſi eadem forma poſſit tribuere effectus formales diverſos, debebit ſubjectum ad illos recipiendos eſſe diverſimodè affectum; quia per hoc, per quod eſt proportionatum uni quà tali, non poteſt eſſe proportionatum alteri diverſo, quà diverſo. Ex quo ſequitur, quòd materia ad formam eandem v. g. ad animam rationalem debeat eſſe diverſimodè diſpoſita. Primò enim ut anima rationalis tribuat materiæ eſſe primum & ſubſtantiale, non requiritur nisì materia prima abſque omni diſpoſitione in illa tunc exiſtente: ſi enim exiſteret in materia aliqua diſpoſitio, jam deberet materia eſſe in actu, adeóque anima rationalis non tribueret illi eſſe primum. Dum autem forma tribuit materiæ eſſe, & ſe ipſam illi conjungit, facit ſubſtantiam compoſitam ſive corpus, tanquam forma corporeitatis; cùm autem proprietas corporis ſit quantitas, conſequitur pro poſteriori quantitas, nondum autem effectus formalis viventis; quia ad hunc effectum communicandum indiget forma heterogeneitate partiũ, ſeu corpore organico. priùs ergo ſunt diſpoſitiones pro forma in quantum eſt anima vegetativa, & deinde hunc effectum formalem

malem viventis communicat anima: & quia illum communicat prout tendens ad ſenſitivum, exigit pro poſteriori iterum alias diſpoſitiones ad effectum formalem animalis, ac poſtmodum iterum alias ad effectum formalem hominis, cujus proprietates non ordinantur ampliùs ad alium effectum formalem. Sic ergo diſpoſitiones ad effectum formalem ſubſtantiæ præceſſerunt tempore, ſed ad eſſe vivens, animal, hominem, ſunt illo inſtanti pro priori poſitivè exiſtentes: quamvìs hæc prioritas non ſit ſtrictiſſima prioritas naturæ.

Terminus generationis eſt totum ſuppoſitum, partes autem ſeorſim nec creantur, nec generantur, ſicut nec ſeorſim ſunt ens, ſed concreantur & congenerantur: quamvìs ſæpe dicamus, quòd materia creetur, & forma generetur, quia ſcilicet compoſitum creatur ratione materiæ, & generatur ratione formæ; ſicut etiam ſolemus dicere, quòd cognitio in quantum eſt repræſentativa objecti, producatur à ſpecie impreſſa, &, in quantum eſt vitalis, quòd producatur ab intellectu; quamvìs in illo indiviſibili actu non ſit aliud, quod producitur à ſpecie, & a-

liud, quod ab intellectu. Et ſic generatur ens & homo per ſe, non autem tantùm per accidens: quod fieret, ſi homo generaretur tantùm denominativè ratione partis & unionis, ut volunt Adverſarij.

Nullus motus aut ens ſucceſſivum terminatur intrinſecè & per ultimum ſui eſſe: nam quidquid eſt in motu, eſt diviſibile, adeóque in illo non poteſt eſſe aliquod primum nec ultimum, ſed poſt quamcunque partem ſemper eſt aliam & aliam accipere. Quia ergo generatio in fieri eſt cum motu, non terminatur intrinſecè, ſed extrinſecè ad illud inſtans, in quo novum compoſitum primò eſt. Dicitur autem novum compoſitum primò eſſe in inſtanti, quia ſubſtantia eſt indiviſibilis, adeóque producitur indiviſibiliter.

CAPUT XXXVI.

De Cauſa creata productiva Subſtantiæ.

AD effectionem ſubſtantiæ materialis concurrit ſubſtantia creata **pria-**

principaliter & mediatè, inſtrumentaliter autem & immediatè ſola accidentia. *Hac ſententia*, inquit Suarius (*a*), *eſt D. Thomæ*, *& Cajetani*, *Ferrarienſis*, *Capreoli*. *Et videtur hac eſſe communis Peripateticorum ſententia: Ariſtoteles enim ubiq; ſignificat naturalem actionem & generationem fieri medijs accidentibus.* Quam ſententiam etiam tenent Conimbricenſes(*b*), citantes pro eadem S. Thomam. Et certè ſi ſola ſubſtantia produceret immediatè aliam ſubſtantiam, ſæpe daretur actio in diſtans; quia ſubſtantia creata nec ſecundùm ſuppoſitum eſſet præſens paſſo, ,neq; ſecundùm virtutem: nam Sol v. g.,cùm producit aurum ſub terra, non eſt illi præſens niſi ex eo, quòd per intermedium ſpatium producat aliquas qualitates. atqui juxta ſententiam hanc qualitates non ſunt virtus productiva ſubſtantiæ & Solis. ergo Sol non eſt auro præſens ſecundùm virtutem. Ex quo ulterius *ſæpe erit neceſſarium*, *ut efficientia ſubſtantiæ tribuatur cauſa prima*, prout obſervat Suarius (*c*), *quod in Philoſophia vitandum eſt quoad fieri poſſit: quia recta diſpoſitio univerſi poſtulat*, *ut per cauſas ſecundas fiat*, *quidquid commodè & connaturaliter fieri poteſt.* Quan-

quam hoc, quod ab alijs vitari vult Suarius, videatur ipſemet non ſatis effugere: dicit enim ille, quòd accidens non poſſit producere ſubſtantiam immediatè, niſi etiam immediatè conc . . at ſubſtantiæ: contingit autem ſæpiſſimè, ut abſit omnis ſubſtantia creata, quæ poſſit immediatè concurrere: quia multæ cauſæ, quibus poſſet effectus attribui, diſtant ſecundùm ſuppoſitum, & cùm accidentia non ſint virtus cauſæ creatæ, diſtant etiam ſecundùm virtutem, prout accidit in omnibus viventibus, quæ naſcuntur ex putri; item in generatione metallorum, plantarum, animalium &c. Dicendum ergo, quòd ſubſtantia creata non agat quidquam niſi mediantibus accidentibus tanquam inſtrumentis: unde etiam ars, quæ imitatur naturam requirit ſua inſtrumenta, quæ applicantur & moventur ab artifice ad opus aſſimilandum ideæ, quæ eſt in mente artificis, & quæ eſt forma intentionalis, ſecundùm quam artifex agit; ſicut in naturalibus omne agens agit ſecundùm formam, quam naturaliter habet. Rationem aſſertionis noſtræ hãc aſſignavit D. Thom: (*d*): quia omnis ſubſtantia agit per ſuam potentiã agendi, atqui potentia agendi in creatis

creatis eſt accidens. ergo omnis ſubſtantia creata agit per aliquod accidẽs. Minor propoſitio ſic oſtenditur: Eſſe & operari in creatis diſtinguũtur realiter, cùm operari ſupponat eſſe: & quia hoc eſt ſubſtantia, quod eſt potentia dicens primò & per ſe ordinem ad eſſe, tanquam ad ſuum ultimum & completivum actum (ſubſtantia enim eſt ens per ſe): ſequitur inde, quòd id, quod non dicit primò & per ſe & eſſentialiter ordinem ad eſſe, ſed ad aliquid ab illo realiter diſtinctum (qualis eſt operatio) tanquam ad immediatum ſpecificativum ſui & per quod definiatur, non ſit ſubſtantia. atqui potentia agendi quà talis per ſe & immediatè reſpicit operationem, tanquam actum proprium, à quo ſpecificatur. ergo potentia agendi non eſt ſubſtantia. quidquid autem non eſt ſubſtantia, & tamen eſt aliquid, eſt accidens. ergo potentia agendi in creatis eſt accidens, & ſubſtantia dum agit per potentiam agendi, agit per accidens. Hoc verò quòd ſubſtantia creata non agat niſi medijs accidentibus, facit ad illius perfectionem; nam cùm ſit limitata de ſe, parum poteſt, ſi debeat ſua opera exequi immediatè per ſe ipſam: prout à pari patet

in aliquo Rege, architecto & artifice, qui ſi per ſe ipſos debeant omnia efficere, propter ſuam limitationem parum efficient ideóque utuntur miniſtris, fabris, & inſtrumentis artis: ſic ergo etiã natura adhibet inſtruméta naturalia, ut plus poſſit. Atque ita eſt triplex modus agendi *(e)*: ſcilicet proximè ſimul & principaliter; ſecundus principaliter tantùm, & non proximè; tertius proximè tantùm & non principaliter. ex quibus primus modus utpote perfectiſſimus competit ſoli agenti perfectiſſimo; ultimus imperfectiſſimus convenit ſolis accidẽtibus; medius competit ſubſtãtiæ creatæ, quæ eſt quaſi in medio inter ſubſtantiã increatam & inter accidens. In generatione novi compoſiti non producitur ſubſtantia per illa accidentia, quæ diſponebant materiam, & in antiquo compoſito recipiebantur: hæc enim pereunt in inſtanti generationis, ùt ſuprà dictum eſt (*f*); ſed ſubſtantia nova producitur per accidentia recepta in corpore circumſtante. Nec obſtat (*g*), quòd accidens ſit minoris perfectionis in ſua entitate, quàm ſit ſubſtantia producta, ut ità videatur non poſſe illam cauſare: neque enim accidens agit ſua virtute, ſed illius

nomi-

nomine, à quo derivatur, hoc eſt, tanquam virtus cauſæ principalis, à qua movetur. Sicut ergo in artefactis ignobilius inſtrumentum poteſt producere nobilius artefactum ex hoc ſolo, quòd conjungatur cauſæ principali perfectiùs moventi, ſic etiam eſt in naturalibus. Quomodo autem producantur illa accidentia, quæ inhærent ipſi ſubſtantiæ, & ab illa immediatè moventur, dicemus infrà (*b*) agendo de potentijs animæ.

(*a*) *Diſput*: 18. *Metap*: *ſect*: 2. *num*: 9. (*b*) *lib*: 2, *Phyſic*: *cap*: 7. *quaſt*: 18. (*c*) *Diſput*: 18. *Metaph*: *ſect*: 2. *num*: 14. (*d*) 1. *p*: *q*: 54. *a*. 3. & *q*: 77. *a*. 1, (*e*) *Conimbricenſes* 2. *Phyſ*: *cap*: 7. *q*: 18. *a*. 6. *ex Cajetano ad* 1. *p*: *q*: 54. *a*. 3. (*f*) *cap*: 34. (*g*) *S. Thomas* *q*: 27. *de Veritate a*. 4. (*h*) *cap*: 43.

CAPUT XXXVII.

De Principio Individuationis in ſubſtantiis materialibus.

IN rebus materialibus ſub eadem ſpecie continentur plura individua ab invicem

vicem ſolo numero diſtincta; quæritur: quænam ſit radix hujus diſtinctionis, ſive ad quodnam prædicatum compoſiti conſequatur hæc diſtinctio? nam ceteri gradus Metaphyſici, qui in ſuppoſito realiter uno inveniuntur, habent aliquod Principium & radicem. v. g. Petrus eſt corpus ratione formæ corporeitatis; vivens eſt ratione animæ in quantum eſt vegetativa, homo eſt ratione animæ rationalis; unde quærimus, cùm eſſe indiviſum in ſe & diviſum ab omni alio intrà eandem ſpeciem ſit ultimus gradus Metaphyſicus in lineâ prædicamentali, quodnam ſit illius unitatis & diviſionis principium? Dicunt aliqui quòd ſubſtantia ſit individua per ſe ipſam & per ſuam entitatem. Hi verum quidem dicunt: quia ſinè dubio tota entitas eſt individua; ſed non reſpondent ad quæſtionem, ſcilicet ex quo prædicato hoc proveniat entitati materiali, quòd individua ſit, & multiplicari poſſit ſolo numero? Unde alij reſpondent, quòd diſtinctio individualis proveniat à circumſtancijs loci, temporis &c. & ab ipſa quantitate; propter quod etiam dicitur:

Forma figura, locus, tempus, cum nomine ſanguis,
Unum perpetuâ reddere lege ſolent. Be-

Bene[hi]quidem, ſed non aptè ad [quæ]ſtionem: nam hæ circumſtantiæ ſunt ab extrinſeco individuantes, & quoad noſtram [notitiam], ideóque etiam dicuntur conditiones individuales. nos autem hic quærimus de principio intrinſeco & ſubſtantiali: quia licèt unum individuum non diſtinguatur ab altero ejusdem ſpeciei eſſentialiter, diſtinguitur tamen ſubſtantialiter, cùm individuum ponatur in prædicamento ſubſtantiæ & ſit ſubſtantia prima; & ſic quæſtio hìc eſt, unde proveniat hæc intrinſeca & ſubſtantialis diſtinctio? A prædicatis eſſentialibus provenire non poteſt: nam Petrus ex eo, quòd ſit animal rationale, non differt ab omnibus alijs hominibus, & aurum ex ratione auri præciſè nec eſt unum nec multum, ſed præciſè aurum. ſi enim quævis res per ſua prædicata eſſentialia eſſet individua, tunc ratione prædicatorum eſſentialium eſſet incommunicabilis & immultiplicabilis; & tamen certum eſt, quòd prædicata eſſentialia multiplicentur realiter. Præterea: quæ differunt ratione prædicatorum eſſentialium, differunt eſſentialiter & ſpecificè. impoſſibile eſt ergo, ut ea, quæ differunt ſolo numero, differant ratione prædicatorum eſſentialium. Ne-

que

dicas, ea tantùm differere ſpecie, quæ habent prædicata eſſentialia notabiliter diverſa: ſic enim neſciremus, quæ differant ſpecie, cùm nemo hactenus determinaverit, in quo illa notabilis diverſitas conſiſtat; deberétque id decidi judicio ſenſuum, qui ſæpe falluntur, vel ſtandum eſſet morali prudentum judicio. Inſuper ſequeretur, quòd duo poſſent inter ſe diſtingui ſpecie, quæ tamen à tertio diſtinguerentur ſolo numero. Nam A. poteſt differre à B. tantùm uno prædicato, adeóque non notabiliter; ſimiliter C. poteſt differre à B. alio prædicato, ſed etiam tantùm uno, adeóque etiam non notabiliter. hoc caſu A. & C. differrent à B. ſolo numero, & tamen inter ſe differrent duobus prædicatis, adeóque notabiliter & ſpecie. Principium diſtinctionis numericæ etiam non eſt forma: nam forma eſt ratio ſpeciei, adeóque eſt ratio unitatis & diſtinctionis, quæ conſequitur ad ſpeciem: atqui ad ſpeciem conſequitur ſola unitas & diſtinctio ſpecifica ſive formalis, quia ſecundùm modum entitatis eſt modus unitatis. ergo forma ſolùm eſt ratio & radix unitatis & diſtinctionis formalis, non verò materialis & numericæ. Dicimus ergo, quòd radix

dix individuationis & diſtinctionis purè numericæ ſit materia prout ſignata quantitate dividente, ſive prout dicens ordinem, connexionem, exigentiam & præcontinentiam quantitatis, ùt dividentis partes materiæ. *Hæc eſt ſententia S. Thomæ* (*a*), inquit Suarius (*b*) *&* *docet illam Ariſtoteles* (*c*). Ratio illius eſt: quia materia ſignata quantitate habet omnia, quæ requiruntur ad radicem individuationis: nam primò etiamſi materia ſecundùm ſe, ſive materia communis, intret in quidditatem & eſſentiam tanquam principium generis; tamen non intrat in illam ùt ſignata quantitate dividente, & alijs accidentibus individuantibus accidentaliter; adeóque non facit eſſentialiter differre. Secundò materia eſt ſubſtantia ſaltèm ſecundùm quid; ergo unitas & diſtinctio indè deſumpta eſt ſubſtantialis. Tertiò materia eſt ultimum ſubjectum coarctans omnes formas, & faciens illas incommunicabiles; ipſa verò non eſt communicabilis alteri ùt ſubjecto, & ideo bene ponitur pro radice incommunicabilitatis, quæ eſt in individuo. Quia autem una pars materiæ adhuc poteſt communicari alteri parti; & materia per ſe non eſt diſtincta & di-

diviſa à materia, ideo materia ſecundùm ſe non eſt ultimata radix incommunicabilitatis,& diſtinctionis non eſſentialis,ſed habet hoc per reſpectum ad quantitatem dividentem: quantitas enim ex ſuo conceptu eſt radix diviſionis & multitudinis, & dividendo materiam, facit illam incommunicabilem & diviſam ab omni alia materia.

(a) S Thomas 2. diſt: 17. q: 2. a. 2. in C. & alibi,ùt patebit capite ſequente. (b) Diſput: 5. Metaphyſic: ſext: 3. num: 3. (c) 12. Metaphyſic: cap: 8. & alibi.

Caput XXXVIII.

De Individuatiõe Formarum Subſtantialiũ, Quantitatis, & aliorum Accidentium; & de Replicatione Circumſcriptiva.

FOrmæ ſubſtantiales ſunt individuæ & hæ numero per ordinem ad ma-

materiam, in qua primò producuntur (*a*): non tamen ablatâ materiâ ceſſat earum individuatio; ſicut etiam cera retinet figurarum diſtinctionem, etiamſi removeantur inſtrumenta diverſimodè illam figurantia. Accidentia, cùm ſint formæ, ſunt ſecundùm ſe communicabilia ſubjecto, adeóque per ſe non ſunt individua & incommunicabilia; ſed per ordinem, quem habent ad ſubjectum, à quo coarctantur & redduntur incommunicabilia: ut ſicut aliqua forma ideo eſt accidens, quia inhæret ſubſtantiæ, ità ſit hoc accidens, quia inhæret huic ſubſtantiæ. Unde etiam non multiplicantur accidentia ſolo numero, niſi multiplicatis ſubjectis, & conſequenter non poſſunt duo ſolo numero diſtincta eſſe ſimul in eodem ſubjecto (*b*). *Quantitas* tamen *habet duplicem rationem individuationis; unam ex ſubjecto, ſicut & quodlibet aliud accidens; aliam ex ſe ipſa* (*c*): quia, nè procedatur in infinitum, debet tandem ſiſti in aliquo, quod non ſit hoc numero per aliud, ſed per ſe ipſum; hoc autem convenientiſſimè eſt quantitas; quæ cùm ex ſuo conceptu dicat diviſibilitatem, requirit ſolum agens à quo dividatur & per diviſionem reddatur alia & non

com-

communicant. Debet ergo quantitas duplici modo conſiderari, ùt obſervat Doctor Angelicus (*d*): *Uno modo poſſunt conſiderari dimenſiones ſecundùm earum terminationem* (quod nos dicimus quantitatem terminatam certis terminis, & figuratam) *& ſic non poſſunt eſſe principium individuationis; quia cùm talis dimenſionum terminatio variet ur frequenter circa individuum* (v. g. cùm res creſcit, aut vivens certâ parte corporis mutilatur) *ſequeretur, quòd individuum non maneret idem numero ſemper. Alio modo poſſunt conſiderari ſine iſta terminatione, in ratione dimenſionis tantùm* (quod vocamus quantitatem dividentem & terminatam ſimpliciter, non certis terminis) *quamvis nunquam ſinè aliqua determinatione eſſe poſſint, ſicut nec natura coloris ſinè determinatione albi vel nigri; & ſic collocantur in genere quantitatis, ùt imperfectum: & ex his dimenſionibus interminatis efficitur hæc materia ſignata, & ſic individuat formam; & ſic ex materia cauſatur diverſitas ſecundùm numerum in in eadem ſpecie.* Individuatur ergo, & individuat quantitas per ſe ipſam, ſive per nihil ulteriùs, aut quod idem eſt, per ſuos terminos & diviſiones, ità ut quot

ter-

terminos & diviſiones habuerit, tot ſint futura individua: individuum enim dicit indiviſionem in ſe ipſo, adeóque non poteſt habere plures terminos, quàm unum. Quòd autem ſint plures termini, colligitur ex differentia & diverſitate ſitûs, ùt eſt apud Boëtium, & Divum Thomam (*e*).

Ex quo ſequitur, quòd ſit impoſſibilis replicatio circumſcriptiva alicujus corporis (*f*). Quia ſi eſſet poſſibilis, non tantùm deficeret nos ſignum, quod habemus unicum, diſtinguendi individua (nam idem individuum poſſet habere differentes ſitus); ſed etiam unum individuum revera deberet eſſe plura individua. Si enim aliquod corpus per ſe, hoc eſt, ratione ſuæ quantitatis poneretur in duobus locis, haberet ratione ſuæ quantitatis duos terminos, adeóque quantitas illius diceret diviſionem à ſe ipſa. ſed penes diviſionem quantitatis deſumitur individuatio corporis. ergo illud corpus eſſet diviſum à ſe ipſo, & conſequenter unum individuum eſſet plura individua. quod eſt impoſſibile. Neque dicas: hoc videri minùs conveniens veritati fidei de myſterio Euchariſtiæ, quippe cùm Chriſtus, qui eſt in loco cæleſti circumſcriptivè, ſimul etiam ſit in altari

altari ſub ſpeciebus. Reſpondemus e-nim cum eo (*g*), cui ab ipſo Chriſto dictum eſt: *Bene ſcripſiſti de me Thoma* (*h*); quod corpus Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis non ſit ùt in loco, ſed tanquam in Sacramento. quod enim eſt in loco, eſt in illo vel ratione ſuæ quantitatis, vel ſuæ operationis, quam excercet in locum vel corpus locatum, ùt patet ex ſuprà (*i*) dictis. atqui Chriſtus neutro modo eſt ſub ſpeciebus Euchariſticis: nam etiamſi quantitas dimenſiva Chriſti ſit ſub ſpeciebus, non eſt tamen nisì per concomitantiam, in quantum comitatur ſubſtantiam corporis, in quam vi verborum convertitur ſubſtantia panis: unde etiam quantitas dimenſiva corporis Chriſti ibi exiſtit per modum ſubſtantiæ, ut ſit tota in tota hoſtia, & tota in qualibet parte ipſius. ergo corpus Chriſti non eſt in altari modo quantitativo & per ſe (quia quantitas ſpecierum non eſt propria Chriſti) ſed per accidens, ratione dimenſionum panis, quibus conjunctus eſt Chriſtus, & quæ in quavis hoſtia ſunt aliæ & aliæ. conſequenter corpus Chriſti non eſt in altari localiter & circumſcriptivè, ſed modo ſubſtantiali. Sed inſtabit fortaſſe aliquis. ergo ſaltèm corpus

pus Chriſti in loco cæleſti eſt circumſcriptivè, & in altari definitivè. Sed etiam hoc negat Doctor Angelicus (*k*): quia *definitivè* propriè in loco eſt id, *quod eſt ità in illo, ut non ſit in alio loco*, nè quidem per accidens: corpus Chriſti autem ſaltèm per accidens, & ratione ſpecierum eſt in loco altaris. Et hæc eſt genuina acceptio hujus vocis: *Definitivè*, ùt videre eſt apud D. Thomam (*l*) & Suarium (*m*). Quòd ſi autem dicas illud eſſe definitivè, quod eſt totum in toto, & totum in qualibet parte; admittimus, quòd corpus Chriſti ſub ſpeciebus, & per accidens in loco illarum, ſit definitivè.

(*a*) *S. Thomas* 1. *diſt*: 8. *q*: 5. *a*. 2. *ad* 6. & 2. *diſt*: 17. *q*: 2. *a*. 2 *in C*. (*b*) *S. Thomas* 1. *p*: *q*: 50. *a*. 4. & *quodlib*: 7. *a*. 10. (*c*) *S. Thomas opuſc*. 70. *q*: 4, *a*. 2. *vel recenter opuſc*. 7 *lib*: 2. *q*: 2 *a*. 2. *quodlibet*. 1. *a*. 22. & *quodlib*: 7. *a*. 10. (*d*) *S. Thom*: *opuſ*. 70. *q*: 4. *a*. 2. (*e*) *S. Thom*: *opuſ*. 70. *q*: 4. *a*. 4. (*f*). *S. Thomas quodlib*: 1. *q*: 10. *a*. 2. *ad* 1. *quodlib*: 3. *a*. 2. *in C*. & 4. *diſt*: 44. *q*: 2. *a*. 2. *quæſtiuncula* 3. *ad* 4. (*g*) *S. Thomas* 3. *p*: *q*: 66. *a*. 5. (*h*) *Breviarium Rom*: 7. *Martij*. (*i*) *cap*: 27. (*k*) 3. *p*: *q*: 66. *a*. 5. (*l*) 1. *p*: *q*: 52. *a*. 2. *in C*. & 4. *diſt*: 10. *q*: 1. *a*. 3.

1. *a. 3. quæſtiunc*: 2. (*m*) *tom*: 3. *in* 3. *parti diſput*: 48. *ſect*: 3.

CAPUT XXXIX.
De Intenſione qualitatũ, Rarefactione & Condenſatione.

TRanſmutatio, quæ eſt circa magnitudinem, eſt *Augmentatio*, puta quando aliquid tranſmutatur de parvo in magnum. (*a*) Tranſmutatio autem quæ eſt circa paſſiones, id eſt paſſibiles qualitates, eſt *Alteratio* (*b*) Alterationis celeberrima ſpecies eſt *Intenſio*, quæ non poteſt fieri per additionem unius formæ ejusdem ſpecici ad alteram: quia, ùt dictum eſt capite ſuperiore, plura accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eadem parte ſubjecti; & accidens non habet partes nisì ratione ſubjecti quanti & extenſi. Si autem adderentur in eadem parte ſubjecti aliquæ formæ vel partes diverſæ ſpeciei, non fieret intenſio: ſicut non fit intenſio, quando viſio Petri & viſio Pauli ponuntur

tur in eodem oculo; vel in eodem ſubjecto albedo, dulcedo, lux, ſonus &c. Dicimus itaque intenſionem fieri *abſq; novorum graduum adjectione, accedente duntaxat modo quodam nobiliori, ſecundùm quem eadem qualitas altiores quodammodo radices agat in ſubjecto, illúdq; magis actuet, & è poteſtate evocet, quod appellant intendi per majorem radicationem.* Quam ſententiam, ùt ajunt Conimbricenſes, (*c*), amplexus eſt Divus Thomas (*d*), qui etiam (*e*) vocat hoc augmentum *ſecundùm eſſentiam*; & rationem ſubdit: *Cùm enim accidens ſit, ejus eſſe eſt ineſſe; unde nihil eſt aliud ipſam* (charitatem ſcilicet de qua ibi loquitur) *ſecundùm eſſentiam augeri, quàm eam magis ineſſe ſubjecto, quod eſt magis eam radicari in ſubjecto*. Et iterum: *Augetur ergo eſſentialiter, non quidem ità, quòd eſſe incipiat vel eſſe deſinat in ſubjecto, ſed ità, quòd magis ac magis in ſubjecto eſſe incipiat.* Sed dices: hoc *magis ineſſe, magis radicari*, & his ſimiles phraſes, ſignificántne aliquid plus, quàm formam eſſe unitam ſubjecto capaci; vel non ſignificant plus? ſi ſignificant plus; ergo jam fit intenſio per additionem; ſi autem non ſignificant plus, tunc deberet ſubjectum

ſtatim eſſe calidum ùt octo, quàm primùm in illo ponitur calor. Reſpondemus: quòd per has voces ſignificetur aliquid plus quoad modum & effectum formalem, non autem quoad entitatem: quia quando ſubjectum intenditur per calorem, non apponitur nova entitas, ſed illud ſubjectum aliter & aliter ſe habet, quia ſcilicet magìs participat ſimilitudinem agentis; & ipſe calor etiam ſe aliter habet, quia ſuum effectum formalem ſubjecto magìs tribuit: nam non ſtatim, ac aliqua forma ponitur in ſubjecto, tribuit illi omnem effectum formalem, quem tribuere poteſt: v. g. in ſententia Adverſariorum, quamvìs mea cognitio uniretur lapidi, non tamen faceret illum cognoſcentem; & eædem ſpecies viſiles etiamſi recipiantur in aëre, per quem propagantur, non immutant tamen illum eodem modo, quo meum oculum. Et ratio hujus eſt: quia quidquid recipitur, per modum, ſeu proportionem, diſpoſitionem & capacitatem recipientis recipitur: & hinc ad intenſionem ſæpe eſt neceſſaria abſentia contrarij, vel introductio qualitatum aliarum, per quas ſubjectum fit magìs proportionatum, vel alia hujuſmodi. formaliter tamen

men in his non conſiſtit intenſio, ſed in unione ad ſubjectum magis capax & determinatum ad hanc qualitatem, quam determinationem habet ſubjectum aliquando quidem ex ſua natura, aliquando verò ab agente extrinſeco. unde dixit S. Thomas (*f*) intenſionem provenire ex duplici capite: *Vel quia augetur virtus agentis, ſicut ex conjunctione plurium luminariū intenditur illuminatio; vel ex parte ipſius materiæ, ſecundùm quod magis efficitur ſuſceptibilior illius actûs.*

Qualesnam motus ſint rarefactio & condenſatio, videtur ex Ariſtotele & D. Thoma non ſatis liquere: nam Ariſtoteles ait (*g*): *Rara autem & craſſa, aſpera & lævia quale quiddam illa quidem videntur ſignificare, ſed aliena ſunt ab ea, quæ qualitatis propria eſt, affectione: ſitum enim potiùs verba talia declarant.* Et S. Thomas (*h*) *Rarum*, inquit, *& denſum non ſunt qualitates phyſicæ, ſed poſitiones partium materiæ ſecundùm propinquum in denſo, & ſecundùm remotum in raro.* E contrario alibi (*i*) numerat Ariſtoteles raritatem inter qualitates ſubjectas ſenſibus; & ſimiliter S. Thomas alio loco (*k*) ait: *Dicendum eſt, quòd talis tranſmutatio*

(ſcilicet rarefactio) *non poteſt propriè dici augmentum, ſed alteratio, fit enim ſecundùm tranſmutationem paſſibilium qualitatum, ſcilicet rari & denſi.* Nos ad hæc concilianda diſtinguimus duplicem raritatem: unam propriam, quæ eſt ſpecialis qualitas, cujus acquiſitio dicitur *rarefactio*; altera eſt impropria & ſitualis, nobis tamen magìs nota quàm præcedens, éſtque certa dilatatio & poſitio partium ejudem materiæ in majore loco; & hæc raritas eſt effectus illius primæ raritatis. Quam utramque raritatem ſatìs inſinuat S. Doctor (*l*) dum ait: *Rarefactio fit ſecundùm tranſmutationem paſſibilium qualitatum, ſcilicet rari & denſi. Variatio autem qualitatis aut quantitatis habet ſe ex conſequenti. Sicut ex motu, qui eſt ſecundùm locum, variatur motus ſecundùm dextrum vel ſiniſtrum; non tamen dicitur motus ſecundùm ſitum, quia variatio ſitûs conſequenter ſe habet ad variationem loci.* Atque ità rarefactio & condenſatio propriè ſunt alterationes. quod etiam tenent Conimbricenſes (*m*) & Suarius (*n*) allegantes Ariſtotelem & D. Thomam. Sicut autem ſubjectum pro diverſa diſpoſitione poteſt diverſo modo participare eandem

numero qualitatem in intenſione; ſic eadem quantitas, cujus effectus eſt extendere materiam, poteſt eadem numero pro diverſa raritate & denſitate majorem vel minorem extenſionem tribuere eidem materiæ; & correſpondere jam majori jam minori loco: quemadmodum eadem pars temporis poteſt commenſurari & motui teſtudinis ad unum paſſum, & motui leporis ad unum milliare.

(a) Ariſtot: 1. de generati: cap: 10. (b) Idem 1. de generati: tex: 23. (c) Conimbric: lib: 1. de gener: cap: 4. q: 2. a. 1. (d) 1. 2. q: 52. a. 2. 1. diſt: 17. q: 1. a: 2. in C. quæſt: 1. de Virtutibus a. 11. quæſt: de ſpirit: creaturis a. 11. in C. & ad 10. & 12. Quodlibet: 9. q: 6. a. 13. (e) 2. 2. q: 24. a. 4. ad 3. (f) 1. diſt: 17. q: 2. a. 2. (g) in Categorijs cap: de qualit: (h) 2 de Generat: lecti 2. (i) 7. Phyſic: tex: 11. (k) 1. de Generat: lect: 17. (l) S. Thomas 1. de gener: lect: 14. (m) lib: 1. de gener: cap: 5. q: 17. a. 5. (n) diſput: 42. Metaph: ſect: 5. num: 17.

CAPUT XL.

Quid ſit Anima, & quas partes corporis informet?

ANimam bene definivit Ariſtoteles (*a*) quòd ſit *Actus primus corporis naturalis potentiâ vitam habentis*, quale autem debeat eſſe illud corpus, explicat ſubjungendo: *tale, quod utique ſit inſtrumentale*; ſeu, 'ùt communiter dicitur, *organicum*, habens partes diſſimilares, quæ tanquam inſtrumenta deſerviant ad diverſas operationes, quibus vivens ſe ipſum perficit. Vivens enim corporeum ad ſuas perfectiones pervenit pluribus motibus, quàm non viventia, ideóque etiam pluribus inſtrumentis indiget. Et univerſaliter loquendo, entia infima bonitatem ſuam, quam habent imperfectam, aſſequũtur paucis motibus & adjumentis; dein vero aſcendendo, quò entia ſunt perfectiora eò majorem bonitatem conſequuntur, ſed per plura adjumenta, uſq; dum perveniatur ad hominẽm, qui eſt in quodam confinio entium materialium & ſpiritualium, utpote cujus anima eſt quidam horizon corporeorum in quantum eſt forma corporis, & incorporeorum, in quantum ipſa eſt incorporea. Homo ergo, qui eſt animal perfectiſſimum, & intellectivus, fit quidem 'quodammodo omnia per intellectum, ſed præterea ad hanc

hanc bonitatem & perfectionem conſequendam indiget plurimis adjumentis & potentijs. indè ab homine ſurſum progrediendo, Intelligentiæ quò perfectiores ſunt, eò paucioribus utuntur ad ſe perficiendas. hinc Angeli perfectiores habent pauciores ſpecies; donec tandem ſiſtatur in Deo, qui omnem ſuam perfectionem habet à ſe, & per ſe abſque ullo adjumento. Requiritur ergo corpus organicum ir viventibus: quæ organizatio non tantùm eſt accidentalis, ità ut præſuppoſitivè ad animā corpus ſit affectum heterogeneis diſpoſitionibus, prout ſuprà (*b*) explicuimus; neq; etiā tantùm eſt accidentalis quaſi efficienter ab anima, & conſequenter ad illā, quatenus habet diverſas potentias accidentales, per quas operatur; ſed etiam eſt organizatio ſubſtantialis: quia anima non communicat ſe cuivis parti eodem modo, & ſic per modum multiplicem informandi conſtituit corpus virtualiter multiplex, & diverſum ſubſtantialiter ſpecie incompletâ, & ſecundùm quid. prout docet D. Thomas (*c*) & ſequitur Suarius (*d*). Nam in microcoſmo corpus hominis proportionaliter ſe habet ad animam rationalē, & participandam illius perfectionem, quo

 modo

modo in megacoſmo ſe habet hoc univerſum ad DEUM & participandam perfectionem illius. ſicut ergo non quævis pars univerſi eodem modo participat perfectionem DEI, quo altera: nam elementa ſunt imperfectiora mixtis; ità non quævis pars corporis participat perfectionem animæ ſecundùm illum gradum, ſecundùm quem participat altera; ſed una participat illam ſecundùm gradum informandi tantùm, alia ſimul ſecundùm gradum vegetandi, alia inſuper ſecundùm gradum ſenſitivi(*e*). Unde quamvis ſanguis non viveret, adhuc tamen poſſet informari animâ rationali, illámque participare tantùm ſecundùm gradum informandi. licèt probabile ſit illum vivere: quod idem dicimus de unguibus, capillis, plumis avium, roſtris, ſquammis piſcium, & ſimilibus. Hæc enim non ſunt purè excrementa, ſed provida natura in illis oſtendit, quod imitaretur ars: ars enim duplicia habet inſtrumenta, ùt bene obſervat S. Thomas (*f*): aliqua, quibus utitur ad executionem intenti operis, & hæc ſunt de prima intentione artis v. g. gladius artis militaris, calamus ſcriptoris &c. alia quibus utitur ad conſervationem prin-

principalium inſtrumentorum, quæque ſunt ſecundæ intentionis reſpectu artis. v. g. vagina pro gladio, pennale pro calamo &c. Ità anima, cùm ſe habeat ad corpus & partes ejus ſicut ars ad artificatũ & inſtrumenta ſua, habet quaſdã partes, quæ ordinantur ad operationes, ùt cor, hepar &c. alias quæ ſunt ad iſtarum conſervationem, prout folia in arboribus; capilli ungues &c. in animalibus: & hæ partes ſunt de perfectione & intentione ſecundaria animalis aut viventis.

(a) 2, de anima text 6. (b) cap: 35. (c) quæſt: de anima a. 9. (d) lib: 1. de anima cap: 2. (e) Vide S. Thomam 4 diſt: 44 q: 1, a. 2. quæſtiunc: 3. ad 3. (f) 4. diſt: 44. q: 1. a. 2. quæſtiunc: 2 ad 3.

CAPUT XLI.

De Vita & Gradibus Viventium.

Vita ſubſtantialis creata & increata non conveniunt univocè in ratione vitæ: impoſſibile enim eſt,

ut ea, quæ non conveniunt univocè in prædicato ſuperiore, conveniant univocè in prædicato, quod ſub illo communiore continetur; cùm ergo DEUS & creatura non conveniant univocè in prædicato communiſſimo *entis*, neque conveniunt univocè in ullo alio prædicato, atque adeò nec in ratione vitæ. Idem eſt de vita vegetativa, ſenſitiva & intellectuali, reſpectu quorum non poteſt dari conceptus vitæ univocus: nam *intelligere* etiam in quantum opponitur cum *ſentire*, & *ſentire* in illa ipſa ratione, in qua opponitur cum *vegetari*, eſt vita, conſequenter vita ſignificat rationes diverſas prout diverſæ ſunt. ergo vita non poteſt reſpectu illarum eſſe omnino idem nomen & univocum, ſed ſolùm analogum. Vivens eſt, *quod ſecundùm aliquã ſpeciem motûs movet ſeipſum* (*a*), quem conceptum communem bonum eſſe, poſſumus etiam hac ratione oſtendere. Quod eſt primum in unoquoque genere, hoc eſt cauſa ceterorum ejusdem generis. ergo quod eſt primum quoad nos & manifeſtius in aliquo genere, debet nobis eſſe ratio diſcurrendi de alijs ignotioribus ejusdem generis. quia ergo *vita in animalibus patens & manifeſta eſt*,

certe

teſte Ariſtotele (*b*); ideo vita animalium debet nobis eſſe ratio diſcurrendi de alijs viventibus. atqui animalia dicimus vivere ex eo, quòd ſe moveant, & eſſe mortua vel non viventia dicimus ex eo, quòd nullum ex ſe motum edant. ergo ſimiliter dicendum eſt alia vivere ex eo, quòd ſe moveant. Hinc inferimus, tantò perfectiùs & magìs vivere illa, quæ operationes ſuas habent minùs ab alio & magìs à ſe; conſequenter quia DEUS nullo modo habet ſuas perfectiones ab alio, ſed omnimodè à ſe, ideo in DEO eſt vita perfectiſſima, quam præ reliquis magìs participant creaturæ liberæ, & qui artes vel ſcientias addiſcunt abſque Magiſtro per inventionem propriam, unde veriſſimum illud: *Vivitur ingenio.*

Viventium corporeorum quatuor ſunt gradus. Supremus eſt in hominibus, qui ſunt liberi & intellectivi, adeóque poſſunt per virtutem intrinſecam fieri à ſe ipſis quodammodo omnia, & præfigunt ſibi ipſis finem, ad quem ſe movent per formam, quam habent à ſe ipſis, hoc eſt per cognitionem & affectum. Et hinc ſinè omni injuria parciſſima in hominem fuit natura: fecit enim hoc ideo, ut perfectionem ſuam homo acquireret tantò

perfectiùs, dum illam acquirit per propriam inventionem & conatum, hoc eſt, à ſe ipſo: nam ipſe homo ſibi invenit & conficit arma & veſtes, quæ alia viventia habent ſibi determinata à natura. Alter viventium gradus eſt in illis animalibus, quæ finem ſuarum operationum non habent quidem à ſe ipſis, ſed determinatum & præſtitutum à natura; movent ſe tamen per formam ſenſu apprehenſam etiam motu progreſſivo in remotum. Tertium gradum conſtituunt illa, quæ ſe non movent motu progreſſivo in remotum, habent tamen ſenſum tactûs & appetitum, cujuſmodi ſunt conchilia quædam, & ea quæ dicimus *plantanimalia*. Infimus gradus eſt in plantis, quæ determinant ſe ipſas quoad executionem motûs: unde etiam habent diverſa organa, & *quoad contraria loca tam incrementa, quàm decrementa ſuſcipiunt*, ùt notat Ariſtoteles (*c*), nec agunt in omnibus partibus eodem modo, ſervatâ tamen proportione. Hoc autem non habent non viventia; nam v. g. gravia & levia per formam, quam habent ab agente extrinſeco, ſcilicet per gravitatem & levitatem, ſunt determinata ad unum certum locum, ad quem e[illegible]

moti[illegible]

motis impedimentis ſemper moventur, & in eo poſita conquieſcunt: viventia verò in naturali ſtatu poſita vel maximè ſe movent, prout patet in hominibus ſanis. Juxta hos ergo quatuor gradus diverſimodè participatur vita divina: ſimili quâdam ratione, quâ vox in plura corpora impingens jam fortiùs jam debiliùs reflectitur: unde dixit Magnus Dionyſius (*d*): quòd *plantæ ſecundùm ultimam reſonantiam Vitæ habent Vivere.*

Actus ſecundus vitæ non poteſt identificari ulli ſubſtantiæ creatæ: ſubſtantia creata enim eſt ab alio agente extrinſeco, actus autem ſecundus vitæ debet eſſentialiter eſſe ab intrinſeco; ſi ergo ſubſtantia creata haberet actum ſecundum vitæ dentificatum, eſſet ab alio extrinſeco, & non eſſet, adeòque eſſet creata & non eſſet. Præterea priùs eſt rem eſſe, quàm operari: unde ſi implicat ut aliqua creatura ſit ſuum eſſe, prout infrà dicetur (*e*), implicat etiam ut ſit ſuum operari vel ſua operatio: nam actus remotior, & ultimus non poteſt identificari, ſi non identificatur actus primus & proquinquior. atqui eſſe eſt actus primus ſubſtantiæ, & illud implicat alicui ſubſtantiæ creatæ identificari-

ri.

ri. ergo non poteſt ſubſtantiæ creatæ identificari ſuum operari, ſic ut ipſa ſit ſua operatio, cùm operatio ſit actus ultimus ſubſtantiæ.

(*a*) *S. Thomas* 1. *p*: *q*: 18. *a*. 1. *in C*. (*b*) *lib*:1. *de plantis cap*:1. (*c*) 2. *de anima tex*: 14. (*d*) *De Divin*: *Nomin*: *cap*: 6. *citatus à S. Thoma* 1. *p*: *q*: 18. *a*. 1. (*e*) *cap*: 47.

CAPUT XLII.

Quot ſint genera animarum? an cognoſcitivum poſſit eſſe ſinè appetitivo? an intrà eandē ſpeciem una anima alterā excedat in perfectione? an in proceſſu generationis inducantur ſucceſſivè plures animæ?

TOt ſunt genera animarum, quot ſunt genera operationum, quibus exceditur materia corporalis (*a*). Nam

Nam cùm materia ſit pura potẽtia paſſiva, & quantò aliquid eſt magìs activum, tantò minùs ſit paſſivum, ideo quantò aliquid eſt magìs activum, tantò magìs excedit materiam, tantóque minùs ab illa & conditionibus illius dependet. Cùm ergo omnis anima ſit principium intrinſecum motûs, tot ſunt genera animarum, quot ſunt genera principiorum intrinſecorum motûs; & quia eſſe principiũ intrinſecum motûs & motivum, eſt eſſe activum, omne autem activum excedit materiam corporalem, ideo tot ſunt genera animarum, quot ſunt genera principiorum intrinſecorum excedentium materiam corporalem. Rurſus genera principiorum diſtinguuntur penes genera operationum, & ità ultimatè tot ſunt genera animarum, quot ſunt genera operationum excedentium materiam corporalem. Sunt autem tria genera harum operationum. Primum & infimum eſt illarum, quæ fiunt per organum corporeum, & per intermediam qualitatem phyſicam ſeu corporalem, propter quam habent multum connexionis cum materia; ſed tamen excedunt illam per hoc, quòd ſint à principio intrinſeco, quod non purè movetur, ſed etiam mo-

vet

vea ſe ad operationem. & tales ſunt operationes animæ vegetativæ. Secundum genus eſt illarum operationum, quæ fiunt quidem per organum corporale, ſed non per qualitatem corpoream modo corporeo & naturali receptam: cujuſmodi ſunt operationes animæ ſenſitivæ. Tertium & ſupremum genus eſt illarum operationum, quæ neque per organum corporale fiunt, neque per qualitatem materialem. quales ſunt operationes animæ rationalis. Atque ità ſunt tria genera animarum, ùt docet Ariſtoteles (*b*) *juxta omnes Expoſitores* teſte Suario (*c*). Habent autem ſe ſpecies & formæ rerum ſicut figuræ (*d*) vel numeri, in quibus perfectior ſemper continet imperfectiorem. v. g. in figuris rectilineis pentagonum continet perfectionem quadranguli & trianguli, illique aliquid ſuperaddit: unde etiam formæ ſic ordinantur inter ſe, ut anima rationalis contineat perfectionem ſenſitivæ, & ſenſitiva contineat perfectionem vegetativæ; neque enim hæ animæ inter ſe differunt, niſì ſecundùm magìs & minùs perfectum, quemadmodum figuræ ejuſdem generis. Ex quo etiam ulteriùs patet non poſſe dari animam ſenſitivam, quæ non ſit vegetativa,

tativa, nec rationalem, quæ non ſit ſimul ſenſitiva & vegetativa, ſicut non poteſt dari pentagonum, in quo non contineatur perfectio quadranguli & trianguli.

Sed potéſtne dari anima cognoſcitiva, quæ non ſit appetitiva? Affirmant hoc aliqui, eo quòd in hoc non appareat implicantia; quaſi verò aliquid ſit verum eo ipſo, quòd alicui non appareat clarè eſſe falſum. Noſtra aſſertio eſt ex Ariſtotele (*e*) & D. Thoma (*f*) quòd nullum cognoſcitivum ſive per ſenſum, ſive per intellectum poſſit dari ſinè appetitivo. quod ſic oſtendimus. Sicut res naturalis per formam naturalem conſtituitur in eſſe naturali; ſic ſenſus & intellectus conſtituitur in eſſe intentionali per formam, quam habet intentionaliter: certum autem eſt inductione omnium formarum, quòd in rebus naturalibus ad formam naturalem ſemper ſequatur aliqua inclinatio naturalis (quam dicimus *appetitum innatum*) quia ad formam naturalē ſemper ſequitur aliqua proportio & convenientia vel diſconvenientia ad aliquid ſive intrinſecum ſive extrinſecum. ſimiliter ergo ad formam intentionalem ſequetur in rebus inten-

tentionalibus aliqua inclinatio : & quidem perfectior quàm ſit in rebus naturalibus : nam ſi forma, ex hoc quòd exiſtat, fundat inclinationem ; ex eo quòd exiſtat nobilori modo, fundabit inclinationem nobilorem. atqui in cognoſcitivis forma exiſtit modo nobiliori & magìs immateriali; ergo in his fundat forma nobiliorem inclinationem ſive *appetitum elicitum*. Præterea cùm objectum intellectûs ſit verum, & non poſſit dari intellectus, qui non habeat pro objecto verum ; ratio autem boni ſit ens & verum ; ſequitur quòd non poſſit dari intellectus, qui non ſit cognoſcitivus boni : conſequenter ex objecto intellectûs neceſſariò ſequitur objectum voluntatis, nempe bonum cognitum. ergo etiam ex ipſa potentia intellectiva, neceſſariò ſequitur potentia volitiva : nam ordo potentiarum ſequitur ordinem objectorum, ut qualis connexio eſt inter objecta, talis etiam ſit inter potentias. atqui inter objecta intellectûs & voluntatis eſt neceſſaria connexio. ergo ſimiliter inter potentiam intellectivam & volitivam eſt neceſſaria connexio, ut ex illa neceſſariò ſequatur iſta.

Sicut in illis, quæ ſunt diverſa ſecundùm

dùm ſpeciem, illud corpus, quod pertingit ad nobiliorem ſpeciem complexionis, participat nobiliorem animam; ſic in illis, quæ ſunt intrà eandem ſpeciem, illud corpus participat animam individualiter nobiliorem, quod ad perfectiorem complexionem pertingit. Perfectio enim individualis formarum, ùt diximus ſuprà, (*g*) non deſumitur ex ratione formæ, ſed reſultat ex materia, ad quam formæ in prima ſui productione dicunt ordinem: ſi ergo materia ſignata eſt radix individuationis ſimpliciter, materia melior, hoc eſt perfectiùs ſignata & diſpoſita, erit radix individuationis melioris, adeóque animæ, quæ in prima ſui productione dicunt ordinem ad meliorem materiam, ſunt individualiter perfectiores. Quæ eſt ſententia S. Thomæ (*h*). Obſervandum autem eſt, quòd ſicut individuatio deſumitur penes materiam, quæ eſt in prima productione formæ; ità etiam individualis inæqualitas in perfectione deſumitur ſolùm penes eam perfectionem materiæ, quæ eſt tunc, quando forma primò producitur. unde poteſt ſubinde contingere, ut anima nobilior progreſſu temporis operetur imperfectiùs, quàm aliqua alia ani-

ma minùs nobilis, propterea quòd poſſit progreſſu temporis illa nobilior diſpoſitio materiæ perire.

In proceſſu generationis humanæ (idem eſt de alijs animalibus) inducuntur ſucceſſivè in materiam plures animæ: materia enim priùs eſt ſufficienter diſpoſita pro una forma imperfectiore, quàm pro alia perfectiore. Quanquam propter has animas non poſſit dici, quòd priùs generetur planta & brutum, quàm homo: nam *planta* (quod etiam eſt de bruto) ſignificat illud compoſitum, quod habet animam vegetativam non ordinatam viâ generationis ad animam perfectiorem; forma autem illa, etiamſi ſit vegetativa tantùm, ordinatur tamen viâ generationis ad perfectiorem animam, adeóque non facit plantam nec brutum. Hæc ſententia eſt Ariſtotelis (*i*), D. Thomæ (*k*), Suarij (*l*), Conimbricenſium (*m*) & aliorum.

(*a*) *S. Thomas* 1. *p*: *q*: 78. *a*. 1. (*b*) 2. *de anima*. (*c*) *lib*: 1. *de anima cap*: 7. *num*: 3. (*d*) *Ariſtoteles* 2. *de anima tex*: 33. *&* 31. *&* *D. Thomas* 1. *p*: *q*: 76. *a*. 3. *in C*. (*e*) 2. *de anima cap*: 4. (*f*) *D. Thomas in* 2 *de anima lect*: 5. *&* 1. *p*: *q*: 19. *a*. 1. *&* *ibid*: *q*: 80. *a*. 1. *&* 1. *contra Gentes cap*: 72. (*g*)

cap:

cap: 38. (*b*) 1. *p*: *q*: 85. *a* 7. & 2. *diſt*: 21. *q*: 2. *a*. 2 *ad* 2. & 2. *diſt*; 32. *q*: 2. *a*. 3. & *alibi*. (*i*) 2. *de gener*: *animal*: *cap*: 3. (*k*) 1. *p*: *q*: 76. *a*. 3. *ad* 3. & *ibid*: *q*: 118. *a*. 2. *ad* 2 & 2. *contra Gent*: *cap*: 89. & *de potentia q*: 3. *a*. 9. *ad* 9. & *quodlib*: 1. *q*: 4. *a*. 1. *in C*. (*l*) *lib*: 2. *de anima cap*: 8. *num*: 4. (*m*) *lib*: 2. *de anima c*. 1. q: 4. *a*. 2.

CAPUT XLIII.

De Potentijs Animæ.

QUòd potentiæ vitales, utpote potentiæ agendi, quæ à ſuis actibus proximè & per ſe ſpecificantur, non ſint idem cum ſubſtantia animæ, patet ex dictis capite 36. Et certè Ariſtoteles (*a*) numerat potentias inter qualitates, easdémque ab anima diſtinguunt D. Thomas (*b*), Suarius (*c*), Conimbricenſes (*d*) alijque. Nec obſtat, quòd materia prima habeat potentiam ſibi identificatam: nam potentia materiæ eſt ad actũ ſubſtantialem, tanquam ad ſuum immediatum ſpecificativum. ergo cum potentia debeat proportionari actui ſuo, non

eſt mirum, quòd potentia materiæ primæ ſit ſubſtantialis, & conſequenter identificata materiæ; at verò potentia agendi eſt ad operationem tanquam ad ſuum immediatum ſpecificativum, quæ operatio cùm in creatis ſit accidens, & potentia debeat ſuo actui proportionari, à quo per ſe & immediatè ſpecificatur, ideo potentia operandi debet eſſe accidens ſupperadditum ſubſtantiæ. *P*otentiæ vitales aliæ ſunt *organicæ*, quarum operationes exercentur per organa corporalia; aliæ ſunt *inorganicæ*, quæ ſuas operationes excercent non per organa corporalia. Harum ſubjectum & unica radix eſt anima; illæ ſunt ab anima tanquam à prima radice activa, quæ eſt in compoſito, & pro ſubjecto habent totum compoſitum. In illo enim recipiuntur accidentia, atqui potentiæ operandi ſunt accidentia propria operantis, & operans operationes organicas eſt totum compoſitum; operationes inorganicas autem operatur ſola anima primò & per ſe. ergo ſubjectum potentiarum inorganicarum eſt ſola anima, organicarum autem totum compoſitum. Potentiæ, cùm ſint accidentia propria, emanant more aliarum proprietatum (*c*):

emanare autem non dicit efficientiam & actionem propriam principij à quo eſt emanatio: nam ſi ſubjectum propriè efficeret ſuam proprietatem in ſe ipſo, ageret idem in ſe ipſum primò & per ſe, quod eſt impoſſibile. Unde ſic eſt diſcurrendum de emanatione proprietatum. Agens eâdem actione, quâ efficit eſſentiam rei, efficit etiam proprietates illius, quia qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe, & in tantùm proprietates verè aguntur: quia tamen illa actio ſic procedit ad proprietatus, ut eſſentia propter connexionem naturalem cum proprietatibus habeat ſe tanquam medium & ratio, propter quam attinguntur ab agente proprietates, ideo dicitur actio procedere per eſſentiam, ſive potiùs applicari ab eſſentia ad proprietates; & in quantum ſic procedit per eſſentiam, vocatur *emanatio* vel *reſultantia naturalis*. Et hinc eſſentia non eſt cauſa efficiens ſuarum proprietatum, quia eſt tantùm medium, & non primum principium à quo eſt motus: ſed eſt *cauſa quodammodo activa*, ùt loquitur S. Thomas (*f*). Quia natura omnia facit ordinatè, emanant potentiæ cum quodam ordine inter ſe, ſic ut una emanet mediante alte-

râ ; nam inter ea, quæ procedunt cum ordine, unum eſt propinquius primo, quàm alterum, quod autem eſt propinquius primo, eſt cauſa ceterorum, ſicut ipſum primum eſt cauſa omnium. (*g*). Eſt autem duplex ordo inter potentias : primus eſt ordo generationis, in quo proceditur ab imperfectiore ad perfectius, & hoc modo in homine ultimæ ſunt potentiæ ſpirituales ; alter ordo eſt naturæ, & quaſi cauſalitatis effectivæ ; & quia in cauſalitate effectiva cauſa quà talis ſemper eſt perfectior effectu quà tali, ideo in ordine naturæ priores ſunt potentiæ perfectiores : cùm ergo emanatio ſit quaſi cauſalitas effectiva, attenditur in emanatione ordo naturæ & perfectionis, ut ità in homine ex intellectu, tanquam ex perfectiſſima potentia emanent omnes aliæ potentiæ. Diverſitas & diſtinctio ſpecifica potentiarum deſumitur ex diverſitate actuum ; & his mediantibus ex diverſitate objectorum ; non quidem ex diverſitate materiali, ſed ex formali, & eâ, quam potentiæ per ſe reſpiciunt (*h*). Specificantur autem potentiæ ab objectis non purè in quantum ſunt principia activa, vel finis & terminus potentiarum, ſed ſpecialiter in

quan-

quantum ſunt principium formale extrinſecum, cui potentiæ ex ſua natura coaptantur & proportionantur, ità ut potentiæ non poſſint definiri niſi per objecta, tanquam per ſuam menſuram & rationem diverſitatis.

(a) in categorijs cap: de qualit: (b) 1. diſt: 3. q: 4. a 2 & 1 p: q: 77 a 1. & quæſt: de ſpirit: creat: a. 11. & quæſt: de anima art: 12. & quodlibet: 10. q: 3. a. 1. (c) lib. 2. de anima cap: 1 (d) 2 de anima cap: 3. q: 4. a 2. (e) S. Thom: 1. p: q: 77. a. 6. ad 3. (f) Ibid: a. 6. ad 2. (g) S. Thomas 1. p: q: 77. a. 7. & 1. diſt: 3. q: 4 a. 3. (h) S. Thom: 1. p: q: 77. a. 3 & quæſt: de anima a. 13. & in 2. de anim: lect: 6. Conſentit Suar: & juxta hunc Ariſtot:, omnéſq; Philoſophi.

CAPUT XLIV.

Quid ſit Corporeum, & in quo ſit eſſentia Spiritus? quid ſit cognoſcere? ubi etiam de diſtinctione ſenſuum externorū, & de eſſe intentionali.

ANimæ plantarum & brutorum ſunt corporeæ. *Corporeum* enim dicimus, *quod habet dependentiam à quantitate & materia*: ſicut è contrario *ſpirituale* eſt illud, *quod eſt independens à quantitate & materia*: conſequenter quò aliquid eſt magis independens a quantitate, materia & potentialitate, tantò eſt magis ſpirituale. Hinc DEUS eſt puriſſimus ſpiritus, quia nullam admittit in ſe potentialitatem: *Subſtantia incorporea autem* (a) *medium ſunt inter DEUM & creaturas corporeas: medium autem comparatione ad unum extremum videtur alterum extremum: ſicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum: & hac ratione dicitur, quòd Angeli DEO comparati ſunt materiales & corporei*; quo modo loquendi aliquando uſi ſunt SS: Patres. Subſtantiam ſpiritualem dicimus *ſpiritum*; quæ ſubſtantia eo ipſo quòd ſit independens à quantitate in eſſendo, eſt etiam independens ab illa in operando; & quia quod eſt independens à quantitate & materia (quæ ſunt principia individuandi, coarctandi & limitandi) eſt illimitatum; ideo ſpiritualis ſubſtantia habet modum operandi illimitatum, adeóque habet

habet potentiam intellectivam, quæ eſt potentia univerſalis, per quam ſubſtantia ſpiritualis fit quodammodo omnia. Eſſe autem intellectivum non eſt eſſentia ſubſtantiæ ſpiritualis, ſed natura, quia eſt principium omnis operationis in illa ſubſtantia. Senſus eſt quidam deficiens intellectus, quia ab illa immaterialitate, & illimitatione, quam habet intellectus, recedit: & cùm potentia proportionetur cum ſuo objecto, non requirit ſenſus objectum ità immateriale, ſicut requirit intellectus. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt: quid ſit cognoſcere?

Cognoſcere eſt *recipere formam alterius ſinè materia*: hinc omnis potentia cognoſcitiva eſt aliquomodo paſſiva, ità ut ſicut materia ligni recipit formam ignis, & per illam fit ſimilis igni agenti, ità potentia cognoſcitiva recipiat formam objecti, & per illam fiat ſimilis ipſi objecto: quo ſenſu verum eſt illud Antiquorum: *Simile cognoſcitur ſimili.* Verùm ad cognoſcendum non ſufficit, ut forma recipiatur in patiente: nam aliàs lapis recipiendo calorem, & materia prima, recipiendo formas ſubſtantiales, cognoſceret; debet ergo hoc accedere, ut vivens

cognoſcitivum recipiat formas ſinè materia, ùt eſt apud Ariſtotelem (*b*) & D. Thomam (*c*). Per quod volumus dicere, quòd quamvìs omne patiens recipiat ab agente ſolùm formam (Cujus ratio eſt primò: quia materia eſt incommunicabilis ulli recipienti, quippe quæ eſt ultimum ſubjectum, unde etiam ut cognoſcatur debet quodammodo tranſire in formam. ſecundò; quia omne agens agit ſecundùm formam, cùm materia ſit pura potentia paſſiva, ſecundùm hoc autem patiens patitur, ſecundùm quod agens agit, adeóque omne patiens patitur ſecundùm formam) aliquod patiens tamen recipit formam materialiter, & ſecundùm conditiones materiæ, aliquod autem recipit formam abſque conditionibus materiæ, & ſpiritualiter. Cùm materia vel materialiter recipitur forma tunc, quando patiens habet eandem materialem diſpoſitionem ad formam, quam habet agens: quia *quidquid recipitur per modū recipientis recipitur*; ſi ergo recipiens eodē modo ſe habeat, quo ſe habet agēs, recipietur forma eodē modo, quo eſt in agēte: atqui in agente propter diſpoſitiones materiales eſt materialiter & entitativè, ergo ſi patiens habe-

at

at eaſdem materiales diſpoſitiones, recipietur forma in patiente materialiter, naturaliter & entitativè, quod eſt recipere formam cum materia. Sinè materia recipitur forma, quando in patiente non eſt talis diſpoſitio ad recipiendam formam, qualis eſt in agente in ordine ad eandem formam: tunc enim patiens aſſimilatur agenti ſecundùm formam tantùm, non autem ſecundùm ea, quæ ſe tenent ex parte materiæ, & ſunt diſpoſitiones ad formam. quod eſt recipere formas ſinè materiæ. Et hic modus recipiendi requiritur ad cognoſcendum, & ideo potentiæ cognoſcitivæ dicuntur *abſtrahere à materia*. Expreſſit Ariſtoteles (*d*) hunc modum recipiendi ſimilitudine ſigilli & ceræ; ſicut enim cera attrahit ſibi imaginem ſigilli ferrei vel aurei, non attrahendo ipſum ferrum vel aurum, nec ejus duritiem, gravitatem, denſitatem &c; ità etiam potentia cognoſcitiva attrahit ſibi formas, imagines & ſimilitudines rerum, non attrahendo diſpoſitiones & conditiones materiales illarum: dum enim cognoſco lapidem, forma lapidis in potentia cognoſcitiva eſt ſinè frigore, duritie, denſitate, & ſimilibus diſpoſitionibus, ſi-

nè quibus à parte rei & in materia non exiſtit. Quia verò abſtractio à materia eſt quædam ſpiritualizatio, (cùm ratio ſpiritualitatis juxta dicta conſiſtat in independentia à materia) ideo formæ in potentijs cognoſcitivis habent eſſe ſpirituale ſeu immateriale & intentionale, non autem naturale, phyſicum & entitativum; hoc eſt, non cum materialibus diſpoſitionibus, quas habent à parte rei, & ideo nunquam cognoſcuntur res ſecundùm modum, quo ſunt à parte rei. Adhuc autem materia eſt duplex: *ſenſibilis* ſeu *Phyſica*; & *intelligibilis* ſeu *Mathematica*. Senſus abſtrahunt à materia ſenſibili, hoc eſt, ſenſus recipiunt formas, abſque qualitatibus phyſicis, quæ diſponunt ad eſſe naturale formæ. v. g. color, qui eſt in pariete cum denſitate; frigiditate, gravitate &c:, prout recipitur in potentia viſiva, illámque immutat, non habet gravitatem, frigiditatem, denſitatem &c. Non abſtrahunt tamen ſenſus à materia mathematica, hoc eſt, à conditionibus conſequentibus materiam ex parte quantitatis, quales ſunt ſitus, figura &c:; nam potentia ſenſitiva eſt actus organi corporalis, quod in ſe habet figuram, ſitum &c., adeóque

óque formæ recipiuntur in illa per modum ipſius: & hinc quidquid nobis imaginamur, concipimus ùt magnum vel parvum, rotundum vel quadratum, in aliquo loco, & cum aliquo ſitu.

Porrò licèt omnis ſenſus abſtrahat à materia (*e*), & immutetur ab objecto immaterialiter (propter quod etiam ad omnes ſenſus requiruntur ſpecies intentionales) unus tamen mutatur magìs immaterialiter, quàm alter, & juxta hunc diverſum modum mutationis immaterialis eſt diverſitas ſenſuum (*f*) In exemplo. Senſibilia externa ſic immutant ſenſum, ut illa mutatio vel fiat cum aliqua mutatione materiali ipſius ſenſûs, vel non fiat: ſi fit, vel fit illa mutatio ſenſûs per ipſam qualitatem, quæ ab hac potentia ſentitur, vel per aliam qualitatem adjunctam illi, quæ ſentitur. Si non fit cū mutatione materiali ſenſûs, vel adhuc fit cum mutatione phyſica ex parte objecti, vel non: & iterum ſi fit cum mutatione objecti, vel illa mutatio eſt alterativa, vel eſt tantùm localis. Atque ità ſunt quinque modi, quibus externa ſenſibilia immutant potentias, & conſequenter ſunt quinque ſenſus externi. Primus & infimus, quia

maximè materialis, eſt *Tactus*, qui mutatur materialiter per qualitatem, quam ſentit: quamvis non ſentiat, prout per illam immutatur materialiter, ſed prout ſimul immaterialiter immutatur. Secundus eſt *Guſtus*, qui ſentit ſaporem, non tamen immutatur materialiter per illum, ſed mutatur ſic per humectationem. Tertius eſt *Odoratus*, qui requirit mutationem alterativam ex parte objecti, plerumque calefactionem, ùt patet in thure &c. Quartus eſt *Auditus*, qui requirit mutationem localem corporum. Quintus eſt *Viſus*, qui non requirit ullam mutationem phyſicam; ſed ſolam illuminationem objecti viſibilis, quæ illuminatio eſt mutatio purè perfectiva, quia fit per qualitatem communem corporibus corruptibilibus & incorruptibilibus; & hinc Viſus eſt inter ſenſus externos præſtantiſſimus, quia eſt maximè immaterialis. Intellectus non tantùm abſtrahit à materia Phyſica, ſed etiam à Mathematica, & quia Individuatio deſumitur penès quantitatem, & conditiones illam conſequentes, ideo intellectus cognoſcendo abſtrahit à conditionibus individuantibus, & à materia individua, adeóque directè & per ſe cognoſcit

ſcit ſola univerſalia. Quod quidem eſt juxta naturam intellectûs; nam modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi. atqui intellectus, cùm ſit ſpiritualis potentia, habet talem modum exiſtendi, ut non ſit in aliquo corporali & determinato organo, quod illum faciat eſſe materialiter, contractè & limitatè. ergo modus cognoſcendi debet eſſe talis, ut non recipiat formas materialiter, contractè & limitatè, ſed communiter & univerſaliter. (*g*). Quia tamen intellectus humanus eſt potentia animæ, quæ eſt conjuncta corpori ùt forma, ideo objectum illi proportionatum pro ſtatu hujus vitæ eſt forma in materia, ſed tantùm in materia communi, quod ſignificamus dicendo, quòd objectum intellectûs ſit quidditas materialis: intellectus enim concipit omnia per modum compoſitorum ex materia & forma, potentia & actu, procedítque componendo & dividendo. (*h*). Singularia quà talia non cognoſcit intellectus directè & per ſe, ſed per reflexionem ad phantaſmata, quæ ſunt ſingularium, quæ intellectus agens illuminat, facítq; actu intelligibilia; ſive, à quibus intellectus agens abſtrahit ſpecies repræſentantes naturā univerſa'ē,

quæ à parte rei conjuncta eſt ſingularitati.

Ex his patet, quòd omnis cognitio requirat conjunctionem objecti cum potentia cognoſcente; ſed quia res prout eſt in ſe, phyſicè & entitativè, non poteſt propter ſuam materialitatem conjungi cum potentia cognoſcente, debet ex illo eſſe phyſico, quod habet in ſe, redigi ad eſſe magis immateriale, per quod proportionetur potentiæ. Hoc eſſe habet in ſpecie intentionali, quæ eſt vicaria rei prout res eſt & aliquid in ſe, actuátque potentiam loco objecti improportionati. Non quod aliud ſit à parte rei, & aliud cognoſcatur; ſed illud, quod cognoſcitur, eſt à parte rei, ſed alio modo; hoc eſt, cum aliis conditionibus, quàm ſit in intellectu v. g.; & quia in intellectu ſic eſt, ut illas conditiones excludat, ideo eſt univerſalis; à parte rei autem non eſt univerſalis, ſed ſingularis, quia illas conditiones à parte rei non excludit, ſed includit. Sed quid eſt illud eſſe intentionale, quod dicitur res habere in cognoſcente? Reſpondemus: quando dicimus, quòd aliquid habeat eſſe intentionale, ſenſus eſt, quòd exiſtat ſpecies formaliter referens & repræſentans ipſum objectum, non aliter, quàm ſi illud ipſum ob-

objectum exiſteret. Pro quo ſciendum eſt, quòd duo ſint in quavis ſpecie: unum quòd illa ſpecies ſit aliquid phyſicum, & in tantùm non eſt imago objecti, quia ſecundùm ſuam entitatem plerumque eſt diſſimilis objecto; alterum in ſpecie eſt, quòd ſit imago repræſentativa alterius, non quidem imago materialis, & ſignum inſtrumentale, ſed imago immaterialis, & ſignum formale, cujus quaſi ſubſtratum eſt illud, quod in ſpecie eſt phyſicum. Explicari hoc poteſt inſtantiâ deſumptâ ex genere morali. Legatus Cæſaris v. g. ad faciendam pacem cum Turca, habet duo: unum quòd ſit hoc individuum humanum v. g. hic Comes aut Baro ſic veſtitus, tantæ ſtaturæ &c. alterum eſt, quòd ſit vicarius Cæſaris. Si conſideretur legatus prout eſt hoc individuum humanum, ſive prout eſt aliquid in ſe & pro ſe, non facit pacem; ſi autem attendatur tanquam vicarius Cæſaris, & ùt eſt aliquid *ùt quo*, in tantum facit pacem, & in tantum eſt moraliter ipſe Cæſar; unde etiam pax ſic concluſa non dicetur eſſe facta cum hoc individuo humano, ſed cum ipſo Cæſare. Non habet ſe tamen hoc individuum humanum prorſus impertinenter ad facien-

dam pacem, ſed eſt quaſi ſubjectum & ſubſtratum illius poteſtatis ad pacem faciendam: quia enim poteſtas Cæſaris non potuit venire niſi in aliquo ente phyſico, ideo fuit neceſſarium, ut Cæſar, qui ipſe in ſe adeſſe non potuit, mitteret hoc individuum humanum, in quo tanquam in vicario reſideret poteſtas Cæſaris. Sic in ſpecie intentionali, quia non poterat ipſa res intentionaliter eſſe in intellectu, cùm in ſe nō ſit aliquid intentionale & immateriale, ideo debuit in intellectu eſſe per ſuum vicarium; in quo vicario ſunt duo: unum, quod ſe habet *ùt quod* & ùt ſubſtratum, & hoc eſt ipſa entitas phyſica ſpeciei, quæ eſt accidens; alterum, quod ſe habet *ùt quo*, ſive ipſa ratio vicarij, quæ ratio facit, ut id, quod eſt in intellectu, ſit ipſum objectum, ſicut legatus Cæſaris eſt ipſe Cæſar. & conſequenter dum ille vicarius ſive ſpecies exercet munus vicarij, & conjungitur potentiæ cognoſcitivæ in quantum eſt vicarius, tunc conjungitur potentiæ ipſum objectum, ſive id, quod foris habet rationem rei, per cognitionem autem rationem objecti ſortitur. Hoc ergo quod eſt primarium in ſpecie eſt eſſe totum aliud à ſe ipſa, ſive eſſe totum loco al-

alterius, ſeu potiùs aliud, & ſic ſpecies eſt ſignum formale, non inſtrumentale: ſigna inſtrumentalia enim ſunt primariò aliquid in ſe & pro ſe.

(a) S. Thomas 1. p: q: 50. a. 1. ad 1. (b) 2. de anima tex: 121. (c) ibidem lect: 24. (d) 2. de anima tex: 121. (e) Ariſtot: 2. de anima tex: 121. & lib: 3. tex: 138. & S. Thomas hic lect: 2. (f) Vide S. Thomam 1. p: q: 78. (g) Vide S. Thomam lect: 8. in librum 3 Ariſtot: de anima tex: 9. 10. & 11. (h) Vide S. Thomam 1 p: q: 86. a. 1. & quaeſt: de anima a. 20. & quodlib: 12. a. 11. & lib: 2. contra Gent: c. 100. & de veritate quaeſt: 10. a. 5. & ſic explicat textum 10. libri 3. de anima ibid: lect: 8. Idem tenent Conimbricenſes 3. de anima cap: 5. q: 4. a. 3.

CAPUT XLV.
De Potentia Intellectiva.

INtellectus humanus eſt *potentia ſuſceptiva intelligibilium* ſicut ſenſus eſt ſenſibilium. Certum autem eſt, quòd ſenſus careat omni eo, ad quod eſt in potentia: v. g. pupilla caret omni colore, & quamdiu caret omni colore materialiter

in

in ſe recepto, tamdiu eſt in potentia ad omnes colores; & univerſaliter omne, quod eſt in potentia ad aliquid, ſecundùm ſe caret eo, ad quod eſt in potentia (*a*) Similiter ergo intellectus, cùm ſit potentia ſuſceptiva omnium intelligibilium, debet carere omni eo, quod eſt intelligibile, & quod poteſt illum coarctare & limitare ad unum tantùm. & hinc quia naturæ corporeæ ſunt intelligibiles & coarctatæ limitatæq;, debet intellectus carere omni naturâ corporeâ, atque adeò debet eſſe ſimpliciter ſpiritualis. (*b*). Spiritualitas tamen, quam habet intellectus, non impedit illum à cognoſcendis ſpiritualibus: quia ſpiritualitas dicit illimitationem; dicit enim independentiam à materia, per quã formæ coarctantur & limitantur. ergo intellectus ex hoc, quòd ſpiritualis ſit, non impeditur, quò minùs poſſit fieri omnia intelligibilia, & ipſa etiam ſpiritualia cognoſcere. Quia verò intellectus eſt proprietas animæ rationalis, & proprietas non poteſt eſſe immaterialior ſuo fundamento, ideo etiam anima debet eſſe ſimpliciter immaterialis & ſpiritualis. Quòd ſi autem eſt ſimpliciter ſpiritualis, non indiget ad ſuum eſſe materiâ, ſed poteſt

eſſe

eſſe ſinè illa (quamvìs, quia eſt forma accipiens individuationem à materia, non poſſit abſque illa primò produci) ergo deſtructo compoſito poteſt manere exiſtens, & conſequenter eſt per ſe ſubſiſtens & immortalis. (*c*). Quod ex operationibus intellectûs ſic deducitur: Modus operandi ſequitur modum eſſendi. atqui anima rationalis, ùt intelligat, non indiget organo ùt ſubjecto. ergo neque indiget corpore, ut ſit. ergo eſt per ſe ſubſiſtens & immortalis. Nihilominus non ſubſiſtit anima per ſe hoc modo, quòd non ſit pars alterius, eſt enim forma corporis; ſed hoc ſenſu ſubſiſtit per ſe, quòd non indigeat aliquâ inhærentiâ, per quam dependeat à ſubjecto. Quòd autem ſubſtantia intellectiva ſit vera & ſubſtantialis forma corporis, conſtat indè (*d*): quia unuſquiſque homo experitur, quòd ille ipſe ſit, qui intelligit: debet ergo homo in ſe habere principium, quo intelligat, & ſiat in actu (unumquodque enim agit in quantū eſt in actu) atqui illud principium, perquod aliquid ſit in actu, eſt forma. ergo homo debet in ſe habere formam. atqui intelligere non eſt niſì ſubſtantiæ intellectivæ. ergo homo debet

in

in ſe habere formam, quæ ſit ſubſtantia intellectiva, quam dicimus *animam rationalem*. Jam verò cùm forma connaturaliter ſubſiſtat in eo, cujus eſt forma, ſequitur, quòd ſubſiſtere in corpore animæ rationali non ſit pœnale, ſed connaturale (*e*): & quia unumquodque ad hoc, quod eſt illi connaturale, habet innatam inclinationem, ſequitur quòd anima rationalis habeat inclinationem innatam ad corpus, & conſequenter ad modum cognoſcendi, quem habet in corpore, ut nimirum intelligat per converſionem ad phantaſmata. Ex quo ulteriùs ſequitur, quòd, ſi non intelligat per converſionem ad phantaſmata (prout non intelligit in ſtatu ſeparationis, in quo non habet potentias organicas, nec phantaſmata) habeat modum cognoſcendi præternaturalem. (*f*). Ille autem modus non poteſt eſſe alius, quàm ut habeat ſpecies à DEO ſibi infuſas, adeóque accedat ad modum intelligendi Angelorum: qui modus licèt ſecundùm ſe ſit nobilior & altior, tamen quantum ad comparationem animæ non eſt perfectior. Sicut enim quamvis ille modus cognoſcendi, quo multa in communi percipiuntur, de ſe & abſolutè ſit melior, quàm

quàm ille, quo debent ſingula in ſpeciali explicari; tamen reſpectu alicujus intellectûs debilis ille primus modus non eſt perfectior: unde ut homines debilis intellectûs aliquid capiant, debent illis ſingula in ſpeciali & unum poſt alterum explicari, & ſi illis multa ſimul ſub aliquo communi termino proponantur, confunduntur potiùs & turbantur, quàm ut res capiant: ità anima rationalis ſeparata, quia debet intelligere ex influxu divini luminis per ſpecies magis univerſales, propter debilitatem ſuæ virtutis ad intelligendum minùs perfectè cognoſcit, quàm in corpore: quemadmodum etiam debiles oculi in luce minore meliùs vident, quàm in valde magna. Ex potentia intellectiva univerſali emanat inclinatio boni univerſalis cogniti, quæ dicitur *Voluntas* ſeu *appetitus rationalis*, qui eſt formaliter liber ad multos actus: libertatem tamen ſuam abſque omni actu exercere non poteſt.

(*a*) *Ariſtot:* 3. *de anima tex:* 4. (*b*) *D. Thomas* 1. *p: q:* 75. *a.* 2. (*c*) *Ariſtot:* 2. *de gener. animalium cap:* 3. *&* *D. Thomas* 1. *p: q:* 75. *a.* 6. *&* 2. *contra gentes cap:* 55. *& quaſt: de anima a.* 14. *Videatur etiam*

Suarius

Suarius & Conimbricenſes. (*d*) *S. Thomas 2. contra Gentes cap: 56. & 57. & à capite 68. uſq. ad 72. & 1. p: q: 76. a. 1. & quæſt: de ſpirit: creat: a. 2. & 3. & quæſt: de anima a. 1. 2. 8. & 9. & alibi.* (*e*) *S. Thomas 1. p: q: 75. a. 2. & 4. diſt: 43.* (*f*) *Vide S. Thomam 1. p: q: 89.*

CAPUT XLVI.

De Analogia Entis.

NIhil communius inter Doctores, quàm rationem Entis eſſe analogam DEO & creaturis, ſubſtantiæ & accidenti; inquit Arriaga, quamvis ipſe hanc Analogiam neget. (*a*) Et iterum (*b*): *In ipſius* (Ariſtotelis) *ſententia, ratio entis eſt analoga ad accidens & ſubſtantiam*: Et iterum (*c*): *Specialiter aſtruit D. Thomas analogiam inter DEUM & creaturas, non verò inter hominem & equum in ratione animalis.* Stant ergo juxta Arriagæ teſtimonium pro Analogia Entis duo orbis Magiſtri. Et certè Ariſtoteles cùm 4. Metaphyſ: cap: 1. dixiſſet, quòd aliqua ſcientia conſideret ens prout ens, poſtea capite

capite 2. ſolvit tacitam hanc objectionē: Objectum ſcientiæ debet eſſe unum, ſed ens non eſt unum. ergo ens non poteſt eſſe objectum ſcientiæ. Non ſolvit autem Ariſtoteles hanc objectionem Negando Minorem propoſitionem, quod facere debuiſſet, ſi judicâſſet ens eſſe univocum; ſed expreſſè illam concedit, dicendo: *Ens multipliciter quidem dicitur.* Solvit verò poſtea argumentum his verbis: *Non enim ſolùm eorum, quæ ſecundùm unum dicuntur;* (hoc eſt, quæ ſunt unum perfectè & univocè) *verùm etiam eorum, quæ ad unam naturam dicuntur* (hoc eſt, quæ ſunt proportionaliter & analogè unum) *unius ſcientiæ eſt ſpeculari.* Adverſarij fundant ſe in illo textu Philoſophi (*d*): *Nam rectius eſt neq; æquivocè dicere, neq; eodem modo, ſed quemadmodum medicinale, eo quòd ad idem quidem & unum, non autem idem & unum, non tamen etiam æquivocè*, Et paulò pòſt additur: *Sed hæc quidem quomodocunq; dicere quis velit nihil differt* ergo, inferunt adverſarij, perinde eſt Ariſtoteli, ſive ens dicatur eſſe univocum, ſive analogum. Permittamus hanc explicationem, quæ ſi vera eſſet, probaret Ariſtoteli perinde fuiſſe non, modò ut ens

di-

dicatur univocum vel analogum, ſed etiam ut dicatur eſſe æquivocum; neque ullum poſſe reprehendi, quidcunque ex his dicat; quod tamen falſum eſt per Adverſarios ipſos, qui nullo modo patiuntur ens dici æquivocum. Permittamus, in quam, hanc explicationem; tamen ex hoc ipſo, quòd Ariſtoteles dicat: *Rectius eſſe* neque æquivocè dicere neque eodem modo, ſed quemadmodum medicinale (quod omnes ferè admittunt eſſe analogum) conſtat jam noſtram ſententiam apud Ariſtotelem rectiorem eſſe. Quòd ſi Ari- [illegible] ens & unum ſint univoca, ſciendum eſt, quòd fortè ſæpius dicat ens eſſe æquivocum, eſt autem hoc modo locutus ideo: quia analoga, utpote media inter univoca & æquivoca, participant aliquid de utriſque: in quantum ſignificant plurium convenientiam in eadem ratione, participant de univocis, & ideo Philoſophus conſiderans præcipuè hanc convenientiam vocavit illa univoca, ſcilicet ſecundùm quid & imperfectè: quando autem conſideravit analoga prout in eadem ratione differunt, vocavit illa æquivoca, quia analoga ſecundùm hoc participant cum æquivocis. Quòd autem

tem ſæpius vocaverit illa æquivoca, quàm univocà, ratio eſt, quia analoga ſunt ſimpliciter diverſa, & unum tantùm ſecundùm quid, adeóque magìs conveniunt cum æquivocis, quàm cum univocis. Hoc nihilominus certum eſt, quòd ſi univerſalia & univoca fiunt per actum plura confundentem in unum, & ea actu, quamvìs implicitè, repræſentantem, ſummùm eſt quæſtio de voce, quando quæritur: an ens ſit univocum, an analogum, & an dentur aliqua analoga? Ratio eſt, quia tunc analoga & univoca fiunt per eundem actũ plura confundentem, & conſequenter, quia actus confundens, cui à parte rei & objecti correſpõdent plura, ſufficit ad faciendum univerſale & univocum, ſequitur, quòd tunc nulla prorſus dabuntur analoga. Id quod ſic oſtenditur: Ideo in ſententia Adverſariorum animal eſt univocum, quia poſſum illud ſic concipere, ut vi ſolius actûs neſciam an conceperim plura an unum, nec videam ullam diverſitatem inter animalia. atqui etiam poſſum ſic concipere ens, ſanum, & quidcunque aliud, ut vi ſolius illius actûs neſciam, an conceperim unum an plura entia, unum an plura ſana, nec videam ullam diver-

diverſitatem entium & ſanorum (idem eſt de quovis analogo) ergo ens, ſanum &c. erit univocum. ergo nullum erit analogum; nè quidem ly: *imaginabile, cognoſcibile, nominabile*, prout ſunt aliquid commune ad ens & non ens, cùm tamen, ùt ait Arriaga (*e*): *Enti & non enti ſimpliciter nulla poſſit eſſe convenientia.* In noſtra autem ſententia, quæ admittit univerſalia & univoca fieri per ſolas præciſiones objectivas, quæ perfectè præſcindunt rationem ſuperiorem ab inferioribus, hæc quæſtio de analogia entis non eſt de voce, ſed de re: quæritur enim: an ens poſſit concipi conceptu communi perfectè præſcindente à differentijs, an verò ſolùm actu confundente plura in unum? Ad quod reſpondemus: quòd Ens prout eſt cònceptus communis ad ſubſtantiam & accidens, DEUM & creaturas, non ſit perfectè præſcindens à modis differendi, adeóque non ſit conceptus univocus, ſed analogus. Rationem damus: quia quando concipio Ens ſecundùm omnem ſuam latitudinem & communitatem, tunc concipio actu quidquid eſt ens. atqui differentiæ etiam ùt tales, & prout inter ſe habent diverſitatem, ſunt formaliſſimè ens

(veriſſi-

(veriſſima enim etiam in ſenſu formali eſt hæc prædicatio: *perſeitas eſt ens*) ergo quando concipio ens ſecundùm omnem ſuam latitudinem, concipio actu differentias etiam ùt tales, atqui quando actu concipio differentias ùt tales, non præſcindo ab illis perfectè: & quando non præſcindo perfectè aliquam rationem à differentijs, tunc non facio univocum, ergo quando concipio Ens juxta omnem latitudinem, tunc non facio univocum. Neque dicas: Si ens non poteſt perfectè præſcindi à differentijs, ergo ens in ſuo formali conceptu involvit differentias; & conſequenter de quo eſt verum dicere, quòd ſit ens, de illo poſſunt prædicari omnes differentiæ; ſicut de illo, de quo poteſt dici animal, poſſunt prædicari omnia, quæ ſunt de formali conceptu animalis. Deinde, non eſſet opus ad hoc, ut enumeraremus omnes poſſibiles entis differentias, niſi ut explicaretur hic terminus: *Ens*; ſicut explicato prædicato hominis, cognoſcimus animal rationale, quia animal & rationale involvuntur in formali conceptu hominis. hæc autem utraque ſequela falſa eſt, ùt per ſe patet. ergo & illa aſſertio, ex qua deducuntur. Sed nos retorquere poſ-

poſſumus hoc argumentum contra te in quocunque tuo univerſali, quod facis per actum plura confundentem: & ſicut tu facis ex tuo univerſali prædicationem ex parte prædicati diſjunctivam, dicendo: *Petrus eſt vel homo vel brutum*; ſic poſſumus nos ex ente facere hanc prædicationem: *DEUS eſt vel DEUS vel creatura.* Verùm quia hæc disjunctio videtur abſurda, quia revera hæc prædicatio haberet hunc ſenſum: *Deus vel eſt id, quod eſt, vel id, quod eſt impoſſibile ut ſit*; ideo alio modo reſpondemus ad argumentum, & dicimus, quòd ſicut differentiæ non ſunt perfectè unum in ratione entis, ſed tantùm ſecundùm quid & proportionaliter, ſive, ſecundùm conceptum obſcurum entis, non autem ſecundùm conceptus claros differentiarum; ità etiam de eo, de quo prædicatur ens, non poſſunt differentiæ prædicari niſi ſecundùm conceptum confuſum entis, & ſecundùm proportionem. atque ità hæc prædicatio: *DEUS eſt ens*; non habet hunc ſenſum: *DEUS eſt DEUS & creatura, lapis & lignum, &c.* quia hi conceptus, ſunt clari conceptus differentiarum; ſed bene poſſum illam prædicationem ſic explicare: *DEUS habet modum*

eſſen-

eſſendi, qui proportionaliter invenitur in creatura, lapide, ligno &c. quò ſpectat illud D. Thomæ (*f*): *Unum dicitur aliquid non ſolùm numero, aut ſpecie, aut genere, ſed etiam ſecundùm analogiam, & proportionem quandam, & ſic eſt unitas vel convenientia creaturæ ad DEUM.* Ens eſt analogum utrâque analogiâ, & Proportionis & Attributionis, ſed alio & alio modo ſumptum. ſi enim Ens accipiatur laxo ſenſu pro omni eo, quod quocunque modo eſt oppoſitum nihilo, tunc Ens reſpectu DEI & creaturæ, ſubſtantiæ & accidentis eſt analogum Proportionis: quia omnia hæc conveniunt in eo, quòd ſint oppoſita nihilo, quia autem nihilo opponuntur non eodem prorſus modo, ideo ſunt analoga habentia imperfectam convenientiam ſeu proportionem, ſeu ſunt *analoga Proportionis*, & quidem *Propria*, quia ratio proportionalis Entis cuivis eſt intrinſeca. Si autem ens accipiatur ſtrictiſſimè pro eo, quod ſimpliciter eſt, tunc ratio Entis eſt intrinſeca DEO & non creaturis: DEUS enim ſimpliciter eſt, creaturæ autem ſunt cum dependentia à DEO, à quo participant eſſe tanquam effectus illius, adeóque in illis eſt ens non ſimplici-

ter, ſed per participationem: & hoc ſenſu Ens eſt *Analogum Attributionis*. Porrò ens, & quodcunque aliud prædicatum, tunc ſolùm eſt analogum, quando ſic accipitur, ut ſignificet ipſam rationem differendi; ſive quando aliquod prædicatum non tantùm ſignificat rationem & formam, quæ participatur à pluribus, ſed etiam ipſum modum diverſum, quo ipſa forma & ratio participatur & reſpicitur. hinc Ens eſt analogum reſpectu DEI & creaturæ. Si autem Ens accipiatur ùt ſignificat naturam humanam, tunc reſpectu inferiorum eſt Univocum.

(*a*) *Diſput*: 11. *Logicæ num*: 1. (*b*) *Diſput*: 6. *Phyſic*: *num*: 6. (*c*) *Diſput*: 11. *Logicæ num*: 20. (*d*) *Ariſtot*: 7. *Metaphyſic*: *cap*: 4. (*e*) *Diſput*: 11. *Logicæ num*: 1. (*f*) 1. *p*: q. 93. *a*. 1. *ad* 3.

CAPUT XLVII.

An Poſſibilitas & Exiſtētia Creaturarū ſint idem cum Eſſentia?

Eſſentia

ESſentia creaturæ ſive creatura de ſe, priuſquam fiat à DEO, non eſt res aliqua phyſica & poſitiva in ſe, nec habet ullum verum & reale eſſe in ſe, prout dictum eſt capite 17. adeóq; creatura de ſe non eſt idem realiter cum ſua poſſibilitate: ſi enim eſſet realiter idem cũ ſua poſſibilitate, tunc eſſet realiter idem cũ DEO (quia ùt loco citato diximus, poſſibilitas creaturæ, antequam creatura exiſtat, eſt ipſa divina potentia) atqui hoc eſt impoſſibile, quia ſic DEUS volendo producere eſſentiam creaturæ, vellet producere ſe ipſum & non creaturam. ergo poſſibilitas creaturæ, antequam eſſentia producatur, eſt ab ipſa realiter diſtincta. Dicimus autem ſemper: *Eſſentia creatura antequam producatur*; nam quando eſſentia creaturæ phyſicè exiſtit, per ſe ipſam eſt actu non repugnans & oppoſita nihilo, adeóque per ſe ipſam eſt poſſibilis; quando autem non exiſtit, adhuc nihil eſt actu adeóque per ſe ipſam non eſt actu poſſibilis. ergo debet eſſe actu poſſibilis per aliquem actum ipſi eſſentiæ extrinſecum; & quia eſt actu poſſibilis ab æterno, debet ille actus extrinſecus eſſe æternus, conſequenter ille actus, per quem eſt poſ-

ſibilis, debet eſſe DEUS. Obſervandum autem eſt, quòd quamvis eſſentia creaturæ antequam producatur, non ſit idem cum ſua poſſibilitate, non tamen ſit diſtincta. Ratio eſt: quia ly: *diſtincta*; ſimpliciter prolatum accipitur pro famoſiore analogato, hoc eſt pro eo, quod eſt actu diſtinctum: hoc autem, quod eſt actu diſtinctum, ſupponitur ſimpliciter eſſe actu. atqui creaturæ eſſentia antequam producatur non eſt aliquid actu: ergo non eſt actu diſtincta. ſic tamen veriſſimè infertur: *Eſſentia creatura non eſt realiter idem cum ſua poſſibilitate, ergo eſt diſtincta ab illa vel actu vel potentiâ.* Sed dices: hæc ſunt contradictoria: *Eſſentia creatura eſt realiter actu diſtincta à poſſibilitate; Eſſentia creatura non eſt realiter actu diſtincta à poſſibilitate.* ergo ex his duabus propoſitionibus alterutra eſt vera. atqui ex dictis prima propoſitio non eſt vera. ergo ſecunda eſt vera. ſed non eſſe realiter actu diſtinctum eſt eſſe actu idem. ex dictis ergo verum eſſet, quòd eſſentia creaturæ eſſet actu realiter idem cum poſſibilitate; quod eſt contra priùs dicta. Reſpondemus, quòd ſecunda propoſitio poſſit habere duplicem ſenſum. primò ut neges ſolam actu-

actualitatem diſtinctionis, & hoc ſenſu eſt contradictoria primæ & vera: non tamen propterea eſſentia creaturæ eſt actu realiter idem cum poſſibilitate: nam negatâ ſolâ actualitate diſtinctionis, manet adhuc diſtinctio potentialis, nec affirmatur eo ipſo actualitas aliqua, quæ ſi non ſit, non poteſt eſſe actualis identitas: quia eſſe actu idem, vel eſſe actu diſtinctum, ſupponit ſimpliciter eſſe actu, quod non habet eſſentia creaturæ. Secundò poteſt illa propoſitio: *Eſſentia creatura non eſt actu realiter diſtincta à poſſibilitate*; ſic accipi, ut neget non tantùm actualitatem diſtinctionis, ſed etiam ipſam diſtinctionem ſimpliciter; & tunc non eſt contradictoria primæ, quia plus negat, quàm ſufficiat ad illam falſificandam. Unde hæc propoſitio: *Eſſentia creatura eſt diſtincta*; eſt quaſi hypothetica, & æquivalet huic: *Eſſentia creatura & eſt, & eſt diſtincta*, cùm interim hæc: *eſſentia creatura non eſt diſtincta*; ſit propoſitio ſimplex.

Eſſentia & exiſtentia in creatis non ſunt idem; imò teſte Doctore Angelico (*a*) *Impoſſibile eſt, quòd ſubſtantia alterius entis præter agens primum ſit ipſum eſſe.* Impoſſibile enim eſt, ut id, quod per potentiam

intrinſecam poteſt currere, vel non currere, ſit ipſum actu currere. ergo impoſſibile ſimiliter eſt, ut eſſentia creaturæ, quæ per potentiam ſibi identificatam poteſt eſſe vel non eſſe (nam creatura ex ſua eſſentia eſt contingens, adeóque potens eſſe vel non eſſe) ſit ipſum actu eſſe. ſit ergo eſſens actu per eſſe & exiſtentiam à ſe diſtinctam; ſicut meus intellectus, quia poteſt eſſe in actu intelligendi vel non eſſe, ſit actu intelligens per intellectionem à ſe diſtinctam. Exiſtentia tamen, quæ non eſt aliqua eſſentia *ut quod*, ſed tantùm *ut quô*, ſive, quæ eſt id, quo aliquid actu eſt, non exiſtit per exiſtentiam à ſe diſtinctam; quia ipſa exiſtentia non eſt contingens ratione ſui, & ſic ut ſit ipſa potentia ad eſſendum vel non eſſendum; ſed eſt ipſa ratio & actus eſſendi, qui eſt contingens, poſſibilis & potens eſſe vel non eſſe per potentiam extrinſecam, hoc eſt ratione eſſentiæ cui conjungitur: ſicut ſubſtantia, quæ ſecundùm ſe eſt indiviſibilis, eſt tamen diviſibilis per potentiam extrinſecam, hoc eſt ratione quantitatis, quam exigit: quæ quantitas eſt ipſa intrinſeca potentia, ratio & radix diviſionis. Sicut ergo albedo, quia eſt talis eſſentia, quâ ali-

aliquid eſt album, ipſa non eſt nec poteſt eſſe alba; ità exiſtentia, quia eſt id, quo aliquid eſt ens, ipſa non eſt, nec poteſt eſſe ens, adeóque ad illam non datur exiſtentia. Concluſionis noſtræ rationem ſæpius aſſignat D. Thomas iſtam: quia quod eſt per ſe tale, habet omnem perfectionem illius naturæ. ergo ſi eſſentia creata per ſe ipſam eſſet ens, haberet omnem perfectionem entis, adeóque eſſet DEUS. Præterea omnis diviſio & limitatio vel provenit à forma & actu, vel à materia & potentia. atqui ſi eſſentia ſit per ſe ens, non habet in ratione eſſendi aliquam diviſionem & limitationem à forma (nam ratio eſſendi eſt ultima actualitas cujuſque rei, ergo non poteſt per alium actum dividi) non etiam à potentia (quia ratio eſſendi in illo caſu non recipitur in aliqua potentia, utpote quæ eſt idem cum eſſentia, quæ in alio non recipitur) ergo ſi eſſentia ſit per ſe ens, non habet ullam diviſionem & limitationem in ratione eſſendi, adeóque eſt ens ſimpliciter unum. & illimitatum ſeu infinitum in ratione entis, quod eſt ſolus DEUS, cujus ſolius eſſentia idcirco eſt eſſe.

(*a*) *2. contra Gentes cap: 52. idémq; tenet opuſc: de ente & eſſentia cap: 5. & alibi ſæpe.*

CAPUT XLVIII.

De Attributis Entis & Diſtinctione Rationis.

Quamvis non poſſit ullum prædicatum addi ſupra ens, per quod ſignificatur aliquid extraneum enti, illique ſupperadditum eo modo, quo differentia additur generi; poteſt tamen enti aliquid addi in tantum, in quantum poteſt per aliquem conceptum exprimi aliquis modus entis, qui per ly *Ens* clarè non exprimitur. Tales conceptus ſunt illa prædicata tranſcendentia, & communiſſimi termini, qui dicuntur proprietates reales entis ideo, quia ſunt verè aliqua realis perfectio conveniens omni enti, & emanans ex ente, in quantum conceptus clarus poſterior eſt conceptu obſcuro, & convertuntur cum ente. Hæc autem prædicata, quæ conſequuntur ad omne Ens, vel conſequuntur illud prout ens eſt in ſe, & abſolutè, vel prout ens in ordine ad alıud. Si conſequuntur ens in ſe, vel exprimunt aliquid affirmativè, vel negativè

tivè. Affirmativè abſolutè de omni ente non poteſt dici niſi eſſentia. & ſic dicitur *Res*; quod prædicatum per hoc differt ab ente quia *Res* dicit quidditatem præſcindendo ab exiſtentia, Entis denominatio autem eſt ab exiſtentia. Quod abſolutè negativè dicitur de omni ente, eſt indiviſio, per quam eſt Ens indiviſum in ſe, & hoc exprimitur per ly *Unum*. Si illa prædicata tranſcendentia conſequuntur ens in ordine ad aliud, vel conſequuntur ſecundùm diſcrepantiam & diviſionem ab altero, vel ſecundùm convenientiam unius ad illud. Si ſecundùm diſcrepantiam, exprimitur per ly *Aliquid*, quod idem ſonat ac *aliud quid*, & ſicut *Unum* ſignificat ens indiviſum in ſe, ſic *Aliquid* ſignificat ens prout diviſum ab alijs. Si conſequuntur ſecundùm convenientiam unius ad aliud, illud debet eſſe tale, quod poteſt convenire cum omni ente: hoc autem eſt Anima, quæ ut dicitur 3. de anima, quodammodo eſt omnia. Quia verò in anima eſt vis cognoſcitiva & appetitiva; ideo convenientia entis omnis vel eſt cum intellectu, vel cum appeitu. Si eſt cum intellectu, dicitur *Verum*; ſi cum appetitu, dicitur *Bonum*: unde dicimus cum

Philoſopho in Ethicis: *Bonum eſſe, quod omnia appetunt*: quia Bonum eſt per reſpectum ad animam, quæ eſt quodammodo omnia. *(a)*. Et quidem convenientiam cum intellectu fundat omne ens, quia omne ens habet propenſionem innatam ad eſſe, & ad quandam perpetuitatem: unde etiam eſt appetitus naturalis tam ad nutriendum, & ſic conſervandum individuum; quàm ad generandum ſibi ſimile, & ſic conſervandam ſpeciem. quia ergo per intellectum res acquirunt eſſe, & quidem eſſe magìs immateriale & immutabile, ideo res habent convenientiam cum intellectu, primariò quidem cum Divino, ſecundariò autem cum creato.

Diſtinctio alia eſt *formalis* ſeu *eſſentialis*, alia *numerica* ſeu *individualis*, & utraque eſt realis. Alia eſt *realis*, alia *rationis*; quæ iterum vel eſt *rationis ratiocinantis*, vel *rationis ratiocinatæ*, quæ idem eſt cum præciſione intellectûs, quam vocamus *abſtractionem*, vel *præciſionem perfectam* & *objectivam*. Diſtinctio rationis ratiocinantis admittit magìs & minùs: nam primò datur tunc, quando eadem res bis concipitur ſed æquè clarè, ùt cùm dico: *Petrus eſt Petrus*. ſecundò quando

eadem res bis concipitur, ſemel obſcuriùs, & alterâ vicè clariùs v. g. *homo eſt animal rationale.* tertiò quando idem indiviſibile prædicatum refertur ad diverſos terminos, v. g. libertas, quæ eſſentialiter eſt ad duos terminos; unde ſi concipiatur prout ad unum, diſtinguitur ratione ratiocinante à ſe ipſa ùt ad terminum alterum. Hæc diſtinctio eſt in genere diſtinctionis rationis ratiocinantis maxima, ità ut multi putaverint illam eſſe abſolutè maximam inter diſtinctiones rationis, adeóque illam dixerunt eſſe diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quæ requirit fundamentum in re, quale videtur eſſe tunc, quando eadem res reſpicit diverſos terminos. Sed revera hoc fundamentum non ſufficit ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ: nam perfecta diſtinctio, qualis eſt hæc, requirit duo; quando autem eadem res eſſentialiter reſpicit duos terminos, prout eſt in libertate quà tali, ſi nihil adſit aliud, tunc implicat ex illa re facere duo, niſi deſtruendo ipſam eſſentiam prædicati: ſi enim facias libertatem reſpicere tantùm unum terminum, jam non eſt libertas, cujus eſſentia eſt reſpicere duos terminos, ergo libertas ratione duo-

rum terminorum non eſt duplex , adeóq; nec diſtincta. Ad hoc ergo ut prædicatum aliquod poſſit diſtingui ratione ratiocinatâ , hoc eſt perfectè , & fieri intentionaliter duo prædicata, debet illud prædicatum non eſſe eſſentialiter unum & indiviſibile, ſed debet poſſe dividi in duo prædicata, quorum unum non ingreditur in definitionem & conceptum eſſentialem alterius. Hujus autem evidens ſignum eſt, ſi illa duo prædicata , in quæ dividitur illud tertium poſſint de ſe etiam in ſenſu formali prædicari. Verbi gratiâ *homo*, quod eſt prædicatum realiter unum poteſt nihilominus dividi in duo prædicata , ſcilicet in *animal* & *rationale* ; quæ duo prædicata non ſunt eſſentialiter unum & idem , quia animal nunquam definitur per rationale , nec rationale per animal , aut per aliquod prædicatũ, in cujus eſſentiã intret animal, & hæc utraque prædicatio: *animal quà animal eſt rationale: rationale quà tale eſt animal*; eſt falſa. Quãdo ergo eſt tale prædicatum , quod quidem actu , & prout eſt realiter, eſt unum ; ſed tamen in potentia, ut dividatur in duo prædicata , tunc poteſt fieri præciſio objectiva, per quam illa prædicata fiant actu duo , & diſtincta ob-

jecta (ſic ut ſpecies, quæ eſt in intellectu ſit vicaria hominis tantùm tam procul, quàm procul eſt animal; & altera diſtincta ſpecies repræſentet tantùm rationale, non repræſentando actu, nè quidem implicitè animal) quamvìs à parte rei maneat eadem res. Et ſic in quantum fiunt duo poſſunt de illis dici prædicata ſecundùm ſe contradictoria; quamvìs prout à parte rei ſunt quid unum, non verificentur de illis contradictoria nisì in potentia: ſicut unum continuum eſt in potentia, ut ſecundum aliquid ſui comburatur, & ſecundùm aliquid ſui non comburatur. Sicut ergo continuum eſt unum, ſic proportionaliter homo eſt unum ens; & ſicut continuum, quod eſt unum, poteſt dividi in plura realiter, ſic homo, qui eſt unum ens, poteſt dividi in plura prædicata intentionaliter; quod poſſe dividi vocamus *diviſionem potentialem*, vel *diſtinctionem virtualem* & *fundamentalem*. Quia ergo datur inter aliqua prædicata ejuſdem rei talis diſtinctio virtualis, datur etiam diſtinctio formalis, per quam unum prædicatum in actu exercito ſeparatur & abſtrahitur intentionaliter ab altero. Quam præciſionem objectivam eſſe *communiter* admiſ-

ſam

ſam docet expreſſè Arriaga (*b*). Et certè nisi intellectus ſic abſtraheret, deberet cognoſcere objectum ſuum cum ijsdem conditionibus materialibus, cum quibus cognoſcit ſenſus, adeóque neque in modo eſſendi intellectus diſtingueretur à ſenſu: quam ſententiã in libris de anima rejecit Ariſtoteles, & eſt per ſe clarè falſa. Præterea niſi darentur præciſiones objectivæ, non faceret intellectus perfectum univerſale, & rationem univocam. Sed quæres; quid ergo à parte rei correſpondet actui objectivè præſcindenti animal à rationali? Reſpondemus, correſpondere hoc, quod eſt animal; ſed non eodem modo exiſtere in intellectu, quo eſt à parte rei: nam à parte rei homo ſic eſt animal, ut ſimul realiter ſit rationale, & Petrus; ſed in intellectu eſt ſic, ut ſit animal & nihil ampliùs, non quidem negativè, ſed præciſivè nihil. Unde intellectus non relinquit animal prout eſt à parte rei, ſed facit illud in actu exercito eſſe animal tantùm; nam intellectus ſibi ipſi facit objectum, dum ſcilicet id, quod per ſenſus fuit repræſentatum cum conditionibus materialibus & individuantibus, intellectus agens ab ijs conditionibus depurat.

(*a*) S.

(a) *S. Thomas quæſt: de Veritate a. 1.* (b) *Diſput:* 11. *Logica ſect: 3. ſubſect: 3. concluſione 2.*

CAPUT. XLIX.

De Entibus abſolutis & Reſpectivis.

Quòd ens dividatur in decem ſuprema genera ſeu prædicamenta, dictum eſt capite 5. Ex quo loco etiam conſtat, quòd aliqua entia ſint *abſoluta*, quæ ex ipſa ratione per nomen ſignificata apparet intrà ſe quaſi claudi, finiri & abſolvi, ſic ut non dicant aliquam dependentiam & exigentiam alicujus extrinſeci. Aliqua entia autem ſunt *Reſpectiva* & *Connotativa*, quæ præter illa ex quibus conſtant, requirunt aliquid extra ſe; quod quidem non eſt intrà ipſam entitatem rei reſpicientis, ſed tamen eſt aliquid tale, à quo alterum neceſſariò dependet. Hinc etiam ſunt duplices denominationes: aliquæ abſolutæ, & aliquæ reſpectivæ: Abſolutæ ſunt, quæ habentur per formam aliquam

liquam intrinſecam ipſi entitati; Denominationes Reſpectivæ ſunt, quæ proveniunt ab aliquo extrinſeco neceſſariò requiſito, quod dicitur terminus & connotatum, & eſt inſtar formæ denominantis rẽ alteram intrinſecè. Dicitur autem denominare rem intrinſecè, non quòd ſit illi intrinſeca & inhærens, ſed quia eſt ad illius eſſe neceſſariò requiſita: cujuſmodi denominationes tribuunt ſubſtantiis materialibus locus, tẽpus, habitus &c. & mutato loco vel tempore mutatur intrinſecè (hoc eſt, in aliquo neceſſariò requiſito) ſubſtãtia materialis, ſicut in abſolutis mutatur res intrinſecè toties, quoties mutatur forma intrinſecè inhærens. Et hinc non valet illud argumentum, quod communiter contra hæc opponitur, ſcilicet: implicat advenire vel perire denominationem realem, niſi adveniat vel pereat nova entitas realis; dicimus enim: quòd quotieſcunq; advenit vel perit nova denominatio realis, debeat advenire vel perire nova entitas realis; non eſt tamen univerſaliter neceſſarium, ut novâ denominatione intrinſecâ adveniente, adveniat nova entitas realis intrinſeca ſeu inhærens fundamento deno-

mi-

minato, hoc enim ſolùm eſt neceſſarium in abſolutis, non autem in reſpectivis, in quibus pereunte termino extrinſeco, perit denominatio intrinſeca. & adveniente tali termino advenit intrinſeca denominatio. Similiter quando dicimus, quòd pereunte termino maneat relatio *in eſſe entitatis*, & non maneat *in eſſe denominationis* dicere volumus, quòd non maneant omnia requiſita ad denominationem reſpectivi (quia ſcilicet perit terminus intrinſecè denominans) maneant autem omnia prædicata abſoluta; quæ ſunt aliquid minùs, quàm prædicata reſpectiva, non quidem aliquid minùs in ipſo ente, ſed aliquid minùs entis extra ipſum ens. Hanc ſententiam tradit doctiſſimus Suarez (*a*) conformiter ad mentem Ariſtotelis & D. Thomæ; fundatúrque in eo, quòd aliter debeant conſtitui entia reſpectiva, aliter abſoluta. atqui abſoluta conſtituuntur ſic ut abſolvantur in ſe, ergo reſpectiva debent ſic conſtitui, ut non abſolvantur in ſe, ſed dicant aliquid foris, quod quidem non ſit pars, ſed terminus neceſſariò requiſitus. Unde etiam, quia juxta Ariſtotelem, totum eſt id, *cujus nihil eſt extra* (*b*), non poteſt aliquod ens reſpectivum

pro-

propriè dici totum: ſi autem non poteſt dici totum, non conſtat etiam partibus, quia partes non ſunt niſi totius partes. Sicut res abſolutæ diſtinguuntur ratione formæ intrinſecè inhærentis; ſic diſtinguuntur relatio *prædicamentalis* & *tranſcendentalis* ratione termini, qui ſe habet inſtar formæ, ùt bene obſervat Suarez (*c*) ex Cajetano. Conſiſtit autem iſta diverſitas in hoc, quòd relatio prædicamentalis reſpiciat terminum ſuum ùt purè terminum, hoc eſt, quòd in quantum eſt relatio prædicamentalis, nullum planè munus reale exerceat circa ſuum terminum, videlicet neque cauſando, neque uniendo, neque repræſentando illum, vel aliquid aliud ſimile efficiendo. Relatio tranſcendentalis autem eſt talis reſpectus, qui conſtituit formam vel naturam cauſantem, operantem vel verſantem aliquo modo circa terminum ad quem dicit habitudinem: & quia iſti modi verſandi circa terminum ſunt multiplices, ideo etiam hæc relatio eſt in diverſis prædicamentis ideóque dicitur *Relatio Tranſcendentalis*.

(*a*) *diſput*: 47. *Metaphyſ*. (*b*) 3. *Phyſ*: *tex*: 63. (*c*) *diſput*: 47. *Metaph*: *ſect*: 4.

CA-

Caput L.

De Subſtantijs Separatis.

DAri aliquas ſubſtantias ſeparatas, hoc eſt, quæ non habent conjunctionem cum materia corporali agnovit Ariſtoteles in Metaphyſicis; & ſuadetur id varijs argumentis, quorum unum eſt à perfectione Univerſi, quæ requirit, ut univerſum ſit aſſimilatum ſuo authori, vel maximè in eo, per quod ipſum productum eſt. Et quia univerſum productum eſt per Intellectum primum omnia perfectè diſponentem & ordinantem, opus erat, ut Univerſum aſſimilaretur DEO & participaret perfectum gradum intellectualitatis, qui requirit perfectam indepentiam à materia. Debuerunt ergo dari ſubſtantiæ aliquæ, quæ totaliter eſſent ſeparatæ à materia corporali. Atque ità Deus omnia conſtituit in quodam ordine & proportione, ut ab ente immobili & omnimodè in actu, deſcenderetur per minùs mobilia & minùs potentialia; ſicut ab unitate proceditur in numeris ad multitudinem, DEUS enim cùm ſit maximè immobilis, & actus

actus purus, deſcenditur ab illo ad entia corporalia & corruptibilia, quæ ſunt maximè mobilia & potentialia, per ſubſtantias ſpirituales, quarum eſſentia non componitur ex potentia & actu, ſed eſt eſſentia ſimplex, potentialis tamẽ reſpectu exiſtentiæ; neq; ſubjacet illarũ ſubſtantia ulli motui phyſico propriè dicto. A ſubſtantijs ſpiritualibus deſcenditur ad corpora cæleſtia, quæ jam ſunt magis mobilia; quia eſſentia illorum includit potentiam & actum, moventúrque motu phyſico ſaltèm locali, etiamſi fortè propter ſuam incorruptibilitatem non moveantur motu alterativo. Ab his adhuc deſcenditur ad corpora ſublunaria, quæ moventur etiam motu alterativo & augmentativo, & conſtant ex actu & potentia. Implicat enim corpus ſimplex, quia deberet eſſe merus actus: actus autem qui eſt magis independens à materia prima, quàm ſit anima rationalis, eſt magis ſpiritualis, quàm ſit anima rationalis. & quia anima rationalis eſt ità ſpiritualis, ut non ſit corpus, nec corporea; non poſſet à potiori ille merus actus, qui non requireret ullo modo materiam primam, eſſe corpus & corporeus: tale ergo corpus eſſet corpus & non eſſet.

Quia

Quia modum eſſendi ſequitur modus operandi, ideo Angeli non procedunt componendo vel dividendo in ſuis judicijs, ſicut neq; in ſua eſſentia ſunt compoſiti, vel ordinati ad faciendam compoſitionem; unde etiam à ſuo ſimplici actu intelligendi, dicuntur *Intelligentiæ*; deinde ſicut in ſuo eſſe non dicunt mutationem & ſucceſſionem, ità etiam Intellectus illorũ non acquirit ſucceſſivè ſpecies ad cognoſcendum, ſed habet illas connaturaliter inditas à DEO, qui res omnes primò produxit in intellectu Angelico, poſt modum produxit illas in ſe ipſis, à quibus ſic in ſe originantur cognitiones humanæ; homo enim accipit ſpecies rerum per ſenſus ab ipſis rebus; & ab homine iterum omnia referuntur ad DEUM, ut ità DEUS ſit omnium principium & finis. Videatur de natura & cognitionibus Angelorum S. Thomas 1. p 1 q: 50. & ſequentibus. Irrationabiliter prorſus dixerunt aliqui è veteribus Philoſophis, quòd mundus iſte corporeus mero caſu coaluerit ex atomis, quæ infinito priùs tempore per inane temere volitaverint; ſi enim lapides ligna, calx, ad hoc ut conveniant in unam domum, colores ut conveniant in unam imaginem, literæ

& vo-

& voces, ut conveniant in unam orationẽ vel poëma, indigent aliquo intellectu ordinante; quantò magis indiguerint intellectu ordinante illa opera, quæ in univerſo cum tanta conſpiratione, conſenſu & ordine conſpicimus. Imò ipſa combinatio intellectuum convenientium in primis principijs; certóq; modo & ordine agentium, cùm ſit maximè mirabilis; irrationabiliter prorſus diceretur eſſe à mero caſu, & nõ ab aliquo ſupremo intellectu omnes alios intellectus ordinante.

Atq; ità evadit perſpicuum debere dari aliquem intellectum ſupremum & primũ inter intellectus, adeóque præſtantiſſimum. Intellectus autem quò eſt præſtantior, eò eſt magìs immaterialis (nam *juxta modum immaterialitatis eſt modus cognoſcitivi*, ùt docet S. Thomas 1. p: q: 14. a.) hinc ergo intellectus præſtantiſſimus debet eſſe maximè immaterialis, adeóque ab omni potentialitate abſolutus, conſequenter merus actus exiſtens per ſuam eſſentiam. Quod autem exiſtit per ſuam eſſentiam, habet eſſe illimitatum & irreceptum, conſequenter dicit omnem rationem entis (ùt conſtat ex capite 47) & eſt maximè ens, ergo & maximè unum maxi-

maximéque perfectum. Ulteriùs: ex eo quòd intellectus unus ſit ſimpliciter primus, qui omnia ordinat, debet ille idem intellectus eſſe finis ſimpliciter ultimus. quod ſic oſtendimus: Inter omnes operationes nobiliſſima eſt operatio intellectûs, hoc eſt ſupremæ potentiæ. ergo intellectûs ſimpliciter primi operatio eſt inter omnes omnino operationes ſimpliciter prima & perfectiſſima, conſequenter operatio intellectûs ſimpliciter primi non eſt ſtulta, ſed maximè rationabilis: eſſet autem ſtulta & irrationabilis, ſi non ordinaret omnia ad ſe ipſam tanquam ad finem ſimpliciter ultimum (eſt enim irrationabile, ſi inter ea quæ ordinari debent, imperfecta non ordinentur ad perfectius) ergo operatio intellectûs ſimpliciter primi debet omnia ordinare ad ſe ipſam, tanquam ad operationem optimam ſimpliciter. atqui ſimpliciter optimum eſt idem ac finis ſimpliciter ultimus. ergo operatio intellectûs ſimpliciter primi eſt omnium operationum finis ſimpliciter ultimus. & quia, ùt dictum eſt, intellectus ſimpliciter primus eſt purus actus, adeóque ſuam operationem ſibi identificans, ſequitur, quòd in-

intellectus ſimpliciter primus ſit omnium operationum finis ſimpliciter ultimus. ad quem omnis Philoſophiæ hujus labor terminatur, cui proinde ſolenne illud apponimus:

O. A. M. D. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1921

Digitized by Google